bellianicæ, vbi expresse prohibitionem fieri necesse est
Auth. sed cum testator C. ad l. Falc. Ad octauum, quod qui-
dam præter superiora obijciunt l. in ratione §. Quod
vulgo ad l. Falc. facilime omnium occurritur: vnam sc,
detrahi de legatis & fideicommissis: de quibus toto illo
tit. agitatur. Ceterum legitima, quæ extra fideicommis-
sium est, extra quoque decernitur §. Quamobrem de restit. &

- 22 & ea quae parit in XI. mense. At vero si cui magis arriserit prima & communis opinio, videlicet filium una quarta contentum esse oportere, hic ita fundamentis superiorum sententiarum satisfaciet.
- 23 Ad primū, duas quidem filio grauato deberi, sed exactione vel solutione vnius, alterius petitionem & obligationem tolli & consumi, d. L. Papinianus §. si quis impubes L. i §. fin. Si cui plus quam per L. Falc. Idque arg. obligationis alternatiæ L. plerunque inf. de iure dot: nec nō arg. obligationis geminæ duorum correorum §. penult. Inst. de duob. reis. Vbi solutione vnius utraq; obligatio perimitur.
- 24 Ad secundum, æs alienum vere debitum & non quasi, primo quidem deduci, & deinde Falcidiam aut Trebelianicam. Sed nostra Legitima, non est vere debitum, sed quasi l. gratia, liberalitas, & legis beneficiæ: in quo genere debiti cessat ista deductio & detractio, d. L. Papinianus §. si quis impubes & L. i. §. fin. Si cui plus quam per L. Falc.
- 25 Ad tertium, Axioma illud coniunctionis procedere regulariter: in his tamen causis quartarum non procedere, propter regulam imputationis d. L. Papinianus §. si quis impubes & L. i. §. fin. Si cui plus quam per l. Falc. Adde quod perpetuum non sit etiam illud argumentum. Non valet enim consequentia; Est bonus, & est artifex. Ergo est bouns artifex.
- 26 Ad quartum, filium non esse deterioris conditionis extraneo, quia sicut extraneus, vnam detrahit. Nec obstat quod melioris conditionis esse debeat. Nam quamuis id verum sit in pluribus, in multis tamen deterioris conditiouis, ut appareat in L. in suis de lib. & post ex L. i. & 2. C. de alend. lib. in Auth. si pater C. Diuortio facta ubi fil. mor. aut ednct. deb. ex lib. i. & t. t. De obseq. à lib. & libert. praest. ff. ex Auth. Presbyteros C. de Episc. iuncta gl. §. i. de pat. potest.

Ad

Ad Quintum, duorum personam filium sustinere, 27
 quoad hoc, ut utraque quarta sibi debeat & alteru-
 tram eligere possit, non tamen quoad utriusque exactio-
 nem, cum alterutra contentum esse oporteat d. L. Papini-
 nianus §. fin. si cui plus quam per L. Falc.

Ad sextum in L. Quoties Ad L. Falc. vtramque fieri 28
detractiōnēm, sed vnam in aliam imputari L. id autem
quod vers. Quaratione ad L. Falc. Ad septimū, iure ponti- 29
ficio licere filio, citra controuersiam, duas detrahēre
quartas: Nos autem in hac positione loquimur de iure
civili. Ad octauum, quod nobis præter superiora plu- 30
rimnm urgere videtur, nimirū, quod negans duas quar-
tas, filio oppugnet jus publicum, etiam magno damno
testatoris & defuncti, cuius, nēdum Reipub. interst, ut
filius præmio quartæ Falcidiæ inuitatus, paternæ heredi-
tati se immisceat, ne moriatur intestatus pater, L. vel ne-
gare: quemad Test. aper L. Et quid hoc defunctorum interest,
de inter act. iuncto §. 1. de L. Falc. instit. Respon debis con-
trariam iuris præsumptionem præualuisse, qnod filius alte-
ra contentus adiret hereditatem, maxima impulsu na-
naturæ & obsequiorum, quibus erga patrem tenetur L. velu-
ti de Iust. & iure & t. t. de obseq. adeo ut malè ominari nec
ius ciuile, nec ius naturæ patiatur.

Ad duo fundamenta tertiae opinionis, & ad primum 31
 occures, cessare quidem Regulam caussarum lucrativi-
 uarum, sed non obstaculum Regulæ imputationis d. L.
 Papinianus §. si quis impubes, Nam quoties duæ sunt caussæ,
 quæ per se & singulæ eundem operantur effectum, quam-
 uis una ex illis cessat, altera quæ superst, sola sufficit ad
 eundem effectum producendum §. Affinitatis de nupt. in-
 stit. L. liberorum §. 1. de his qui not. inf. Nec refragatur
 L. pater filium ad L. Falc. vbi quod extra caussam Testa-
 menti

menti capitulū eiusmodi videtur esse legitima, ut superius diximus, non imputatur in quartam falcidiam, ergo filius qui legitimam habet, statim à morte testatoris eam non imputabit, post euentum conditionis aut diei, in falcidiam Trebellianicam. Imo vtramque consequetur: nam istud Axioma est intelligendum, quando id quod debetur extra testamentum non reperitur in bonis defuncti tempore mortis; nam tunc si reperiatur imputabitur *d. l. pater filium inf.*

Ad posterius, argumentum à verbis narratiuis & facti specie non semper valere, *i. precibus C. de impub. gl. in l. vn. C. quando non petentium partes.* Maxime, quando ratio legis, quæ eam extendit, *i. ita autem de adm. tut.* latius patet, quam verba, ut contingit in *d. c. Raynutius*, ubi facti species est de fideicommisso conditionali: sed ratio etiam purum fideicommissum complectitur: Puta, filio debetur quarta tanquam extraneo, non solum si fideicommissum est conditionale, sed etiam si purum. Quamobrem duas quartas detrahit filius vtroque, & in distin^{te}te.

32 Ceterum iure pontificio, & non iure ciuili, sicut duabus posterioribus oppugnationibus falso traditur; tametsi postrema opinio seruetur generali totius orbis consuetudine.

DE FALCIDIÆ AVT TRE bellianicæ prohibitione.

Synopsis.

1. Remissiū casus, in quibus cessat Falcidia aut Trebellianica.
2. Olim Falcidia prohiberi non potuit.
3. Hodie ob duas rationes in testamento prohiberi potest.

Verum

4. Verum potestne ut Falcidiā ita Trebellianicā testator prohibere?
5. Affirmatur communiter,
6. Lex magis fauet Falcidiā, quem Trebellianicā.
7. Refutantur argumenta contraria.
8. Axioma, in correctorijs non est facienda extensio, declaratur.
9. Queritur ulterius, an filio primi gradus viragi prohiberi possit?
10. Non potest, ex communi D. d. sententia.
11. Postremo queritur, an in quibus causis cessat Falcidiā, onus reiciatur in legatorics, qui patiuntur detractationem, an in heredes.
12. Posterius adfirmatur.

AB hactamen regula pontificia & ciuili, secundum opinionem detrahētūm duas Quartas, excipiuntur omnes casus, quibus cessat Falcidiā aut Trebellianicē detractio, quos recenset Acc. in §. fin. de L. Falc. apud Iustinianum, & L. in Testamento C. Ad L. Falc. Ex quibus, casus prohibitionis Falcidiā, præ ceteris animaduersione dignus est: Puta, olim Falcidiā prohiberi nō potuit L. quod de bonis §. 1. & §. fin. ad L. Falc. tum quia nedum Testatoris sed Reipub. interest, ut Testamenta suum sortiantur effectum L. vel negare! Quemadmodum Test. aper, §. 1. de L. Falc. L. & quia. De interrog. actis Quamobrem Testator olim Falcidiā non potuit prohibere, ne iuri simul publico & alieno renunciet, d. L. quod de bonis & d. §. sed quia heredes. Hodie vero contra 3 permissa est prohibitio Falcidiā Auth. sed cum testator C. ad L. Falc. §. si vero expressim. de hered. Falc. & in Auth. col. 1. partim quia hodie apud Christianos caussa aditionis non est lucrum quartae duntaxat, sed pietatis actus & meritum, cuius merces copiosa est in cœlis. d. §. si. vero expressim;

presim. Quò fit vt hodie permittatur prohibitio Falcidiae, propter nouam illam caussam aditionis, vt quod caducitatibus Testamentorum alijs remedijs hodie consultum sit. Quæsumus est, an sicut Falcidiā hodie prohibere testator potest, ita & Trebellianicam? Gl. interdum censem posse: d. §. si vero expressim in verb. substitutis de heredit. & Falcid. interdum non posse d. Aut. sed eum testator in verb. cessat C. ad L. Falc. Magis autem communis & receptior sententia est, ut prohibere liceat; quod eadem sit vtriusque instituendæ ratio §. 1. de l. Falc. Inst. iuncto §. sed quia heredes de fideicommissis hered. eadem & tollenda scilicet prohibendæ, d. §. si vero expressim. Imò maior est ratio prohibendi Trebellianicam, quam Falcidiā, quandoquidem lex magis fauet Falcidiā quam Trebellianicā, l. in quartam ad L. Falc. tum etiam, quando duo æquiparant antiquo iure, quod recens in uno constituitur, in altero simul cautum intelligitur, l. Marcellus §. Quod autem ubi Bart. & Ias. Ad SC. Trebell. Nec obstat l. si vt allegas C. ad l. Falc. Vbi antiquitus non potuit prohiberi Trebellianica, Ergo nec hodiè poterit: quia de ea nihil cautū reperiatur, sed tantū de Falcidia, l. Sancimus C. de Testam. ibi, quod non mutatur cur stare prohibetur. Nam satis cautum est per simile. id est, per Falcidiā cui prius æquiparabatur arg. l. non possunt, de leg. Minus etiam obstat, quod in Correctorijs non sit facienda extensio, l. si vero §. de viro Sol. matr. c. Odia, dereg. iur. in 6. Nam istud Axioma limitatur multis modis secun. Iason. in Auth. quas actiones C. de sacros. Eccles. tribus maximè: Quando ratio legis corrigētis est expressa ut in d. §. si vero expressim, deinde quando per correctionem datur regressus ad jus antiquum, sicut & hīc contingit. l. verbis legis de verb. sig. l. i. ad L. Falc. Denique in æquiparatis, ut paulo ante diximus, per l. Marcell. §. Quod autem ad Trebell. Sed

Sed rursus quæritur, an filio quoque pater prohibere possit,⁹
 viramque & Falcidiam & Trebellianicam: Hic quoque in
 varias sententias distrahuntur Interpretes, sed magis¹⁰
 communis & receptione ea est, quæ seruatur in foro, ut filio
primi gradus non possit, l. iubemus C. ad Trebelli. Vbi si
 pater non potest diminuere Trebellianicā, computatio-
 ne sc. fructuum, ergo multo minus tollere & prohibe-
 re, secundum Philip. Decium & Franciscum Ripam in L.
Nemo potest num. 55. de leg. 1. & Guid. Pap. qui testatur ita
judicari decis. 51. quamuis noster Alciatus in l. cum proponas
C. de pactis in priore falsò referat contrariam opinionem,
 sc. quod prohibere possit; magis communem. Nec ob-
 stat d. Auth. sed cum testator, quæ nouissimè & generali-
 ter, hoc est omnibus indistinctè & ita tam parētibus quam
 extraneis, potestatem facit prohibendi Falcidiam, Nam
 lex, etiam generalis & postetrior, non porrigitur ad casus
 & leges etiam anteriores, l. 3. de silentiarijs, lib. 12 C. secun-
 dum gl. vulgo probatam in l. secundum in prin. Qui satis dare
 cogantur.

Postremò hic quæritur, an in quibus causis cessat Fal-¹¹
 cida, onus rei ciatur in legatarios, qui patiuntur detra-
 ctionem, id est, quorum legata sunt de falcibilia, an ma-
 gis hoc cedat damno solius heredis? Hic receptione est o-¹²
 pinio post Acc. in Auth. similiter C. ad L. Falc. quod cedat
 damno solius heredis, ideoque quod heres non accipit
abijs quorum legata sunt indefalcibilia, non onerat alios
legatarios, quorum legata sunt de falcibilia, vt quanto
minus ab illis accipit- tanto amplius ab istis capiat,

qua de re tex. est in L. si post missionem ad L.

Falc. Notatur latissime in L. Ex aſſe.
ad Trebelli.

Nota.

DE IIS, QVÆ IMPVTANTVR
in Trebellianicam.

Synopsis.

1. Heres triplici titulo aliquid possidet: primo.
2. Secundo.
3. Tertio.
4. Regula imputationis,
5. Legata & Fideicomissa quowq; exæquata.
6. Falcidia detrahitur de legatis particularibus.
7. Trebellianica de Fideicomissis universalibus,
8. Tacita prohibitio nō sufficit ad impediendam detractionem.
9. Expressa sufficit.
10. Ratio, quare plura imputentur in Trebellianicam, quam Falcidiam.
11. Afflictus in uno, in altero relevandus, & è contrario.
12. In imponenda Falcidia primò detrahitur ex alienum.
13. Falcidia tamen in præiudicium creditorum non conficitur.
14. Negativa conclusio valet à Trebellianica ad Falcidiam.
15. Explicatur. L. acceptis ff. ad L. Falcidiam:
16. Declaratur, L. Inbemus C. ad Sc. Trebellian:
17. Interpretatio. L. in quartam ff. ad L. Falcid:
18. Ea, que à testatore heredi, titulo uniformi relinquuntur, imputantur: ut & ea, que difformi, tanquam prelegata, non verò si titulo legati dentur.
19. Verum de ratione diversitatis controvertitur.
20. Prima opinio Accursij.
21. Altera Baldi.
22. Tertia distinguentium.
23. Quarta Alciati.
24. Quinta Maretii.
25. Prelegatum dicitur quasi in præcipuum contineat.
26. Regula ex dictis colligitur, Prelegati portio imputatur in Trebellianicam.

[Huius]

DE IIS QVAE IN TREBEL. IMPVTANT. 21

27. *Huius regulae primum non obstat. L. Titia ff. ad SC Trebel.*
28. *Ob duas rationes.*
- 29, 31. *Nec secundò & quartò L. deducta §. acceptis ff. ad Sc. Trebellian.*
30. *Neg, tertio L in quartam vers. sed in fideicommissaria ff. ad L Falciad.*
32. *Tria prælegatorum genera.*
33. *Pralegata hereditaria in uniuersum imputantur.*
34. *Quinta & ultima obiectio dissoluitur.*
35. *Imputatio duplex, communis & singularis.*

VT sequentia præcedentibus cohæreāt, operæ pretium facturus, si harum quartarum imputationē superioribus annexero. Quod vt facilius obeamus, & dilucidius *Legē in quartam, ad l. Falc. & filii quem, Fam. ercisc. C. exponamus, obiter nobis præludendū est, heredē triplici titulo aliquid possidere: Primō, hereditario, cuius exempla sunt: Primum corū, quæ apud heredem remanēt, solutis oneribus & legatis. Alterū, legatorū & fideicommissorū deficiēntium, siue pro non scriptis habeantur siue caduca sint, L. Non est dubiū cum seq. L. 76. id autem vers. Qua ratione ad L. Falc. l. vn. §. & cum triplici, cum 2. seqq. C. de cad. toll. Tertium est iurium accrescentium L. 77. quod si alterutro, ad L. Falc. Quartum est portionis hereditariæ, quam habet coheres in prælegatis d. L. in quartam §. pro ea vero parte, ad L. Falc. Quintum est in L. 1. §. id quod natura, ad L. Falc. Sextūm est in L. si dignum ff. eod.*

Secundō possidet heres res defuncti titulo legati, fidei-commissi causa conditionis implendx, aut simili quolibet nō hereditario. Tertiō, titulo dupli, vulgo difformi, id est, mixto, partim hereditario & partim nō hereditario, cuius exemplum est in prælegato vni ex pluribus in-

stitutis reliquo, cuius partem accipit heres iure, id est, titulo heditario, puta quam erat habiturus tanquam heres, nullo prælegato sibi reliquo: partem verò titulo legati consequitur, puta quam accipit à coherede, quamque non erat habiturus citra prælegatum d.L. in quartam vers. pro ea vero parte & l. Miles §. t. de ieg 2. & L. Em. qui §. pro parte, de his quibus ut indig. Prima regula igitur imputationis est. In quartam Trebellianicam imputari, quicquid judicio defuncti & quocunque titulo simplici tantum & uniformi capit heres, l. in quartam 2. responso L. Filium, quem C. Fam. ercisc. idq; rationibus. quas paulo post subiçemus. Ceterum huie regulæ in primis videtur refragari L. 1. de leg. 1. & l. 2. C. com. de leg. vbi per omnia exæquata sunt legata fideicommissis, ergo Trebellianica cum Falcidia, in quam solus titulus hereditarius imputatur, d.l. in quartam in pr. Huic occurritur ut sup. exæquata legata quidē esse, sed particularia legata fideicommissis particularibus, & vniuersalia legata, vniuersalibus fideicommissis, ut singula suam sortiantur imputationem: Puta, in 6 Falcidiā (quæ detrahitur de legatis particularibus) solus titulus hereditarius imputatur, idemq; solus imputabitur in Falcidiā, quæ detrahitur etiam de fideicommissis particularibus: Et sicut in quartam Trebellianicam (quæ detrahitur de fideicommissis vniuersalibus) imputatur omnis titulus simplex, tam hereditarius quam non hereditarius; ita quoque imputabitur in Trebellianicam quæ deducitur de legatis vniuersalibus. Isto ergo sensu hic fit exæquatio arg. l. si quis omissa cauſa inf. si quis omissa cauſa test.

Secundò refragatur l. Titia inf. ad L. Falc. l. 1. C. eod. C Rayninius inf. de test. vbi hæc quarta detrahitur cōtra voluntatem testatoris ergo hodie tanquam à testatore prohibita,

&

& contra testatoris voluntatei nunquam detrahitur.

Quo fit ut frustra de eiusdem imputatione differamus,
Auth. sed cum testator C. ad L. Falc. Huic satisfacies distinguendo, duplē esse prohibitionem, vnam tacitam, de qua agitur in juribus contrarijs, & ista est quæ non sufficit ad impediendam detractionem & imputationē: Alteram exp̄ssim, *de quā in d. Auth. sed cum testator;* & ista sola est quæ impedit detractionem, & eod. argumento imputationis tractatum, *d. Auth. sed cum testator, ponderando verbum exp̄ssum.* Tertiō *d. l. in quartam in pr. Ad L. Falc.* Vbi in quartam Falcidiam imputatur dūtaxat quod heres capit jure hereditario, ergo idem de Trebellianica sentiendum, tum quod eadem sit vtriusque instituendæ ratio, §. *sed quia heredes de fideicom. hered. instit. tūm quod etiam bonum est argumentum de vna ad alteram l. Marcellus §. Quod autem ad Trebell.* Huic obiectioni variè occursum est. Nam Alc. lib 6. c. 4. para. 1. refert sex rationes differentiæ, quare plura imputentur in Trebellianicam quam in Falcidiam, quarum nulla placet Alex. adeò vt ea sola sibi probabilis videatur, vt sit pro ratione volūtas, neque alia adferri possit. *L. Non omnium de legib. l. i. §. pueritiam, iuncta gl. de postulando.* Ceterum ex iis antiqua illa Acc. ratio semper nobis visa est optima; multo plura imputari in Trebellianicam, & pauciora in Falcidiam, quia heres Falcidius grauatur in uno, puta tenetur ad omnia onera, etiam supra vires hereditatis, *L. si de bonis C. de jure de lib. L. More nostrae civitatis, de acq. hered.* quia ad legatarios æs alienum non transfertur §. *legatarijs de legatis, inst. L. si hereditatem mandat il. fin. C. de hered. act. L. quoties C. de hered. instit.* Qua ratione æquum visum est, vt quam maximè fieri possit, huic Falcidio heredi faueatur & adiungetur ad ferenda onera.

At ve-

At vero in Trebelliano secus est: nam iste aut nulla
 aut pro quadrante tantum fert onera §. si quis una aliqua re
 deducta, De fideicommissariis heredem. quia aliae tres partes aeris alieni,
 ad fideicommissarii heredem transiunt, d. §. restituta eod.
 Quamobrem par quoque fuit, ut ex oneratus isto falce, Tre-
 bellianus heres aliunde grauaretur: puta imputatione o-
 mnium titulorum indistincte, secundum iuris regulam,
 II quam grauatus in uno in alio relcuandus est, & vice versa l.
 cum qui. De jure iurand, secundum Acc. ill. in d. l. in quartam in
 12 verb. idei imputatur. Nec obstat ratio, qua sola interpre-
 tes deficiunt ab Acc. quod Falcidia detrahatur deducto
 prius aere alieno L. in imponenda C. ad L. Falc. §. cum antem
 instit. eod. Ergo liberior est Falcidia & magis exonerata
 quam Trebellianica, quae admixtis oneribus decernitur
 lege, quam heres Trebellianicus consequitur cum quar-
 ta parte onerum & debitorum §. si quis unare deducta, de
 13 fidei hered. instit. Nam Falcidia deducto aere alieno estim-
 ponenda, hoc sensu sc. ut ex aere alieno in praejudicii
 creditorum non conficiatur, sed ex legatis & bonis heredi-
 tariis d. L. in imponenda & L. irritum eod. Ineptus ergo
 sensus aduersariorum, ut deducto aere alieno liberetur
 heres a creditorib. hereditariis, quando quidem ista de-
 ductio, etiamsi lateat aere alienum & postea emergat, nihil
 officit creditoribus, quo minus agant & experiantur cum
 herede Falcidio, quamvis hereditas non sit soluendo, L.
 debitorum pactionibus L. pacto successorum C. de pactis: iuncta
 L. si de bonis C. de iure de lib. L. More. de acq. hered. §. in ex-
 traneis, instit. de hered. qualit. & differ. Minus obstat, quod
 eadem sit ratio vtriusque instituendae. Nam hoc ve-
 rum quidem est quoad institutionem vtriusque, sed non
 quoad imputationem, vbi longe diuersa est ratio vnius
 ab altera ut diximus. Minus quoque, quod bonum sit
 argumen-

argumentum de vna ad aliam. Nam id etiam inferret extra imputationem, sicut loquitur *textus in d. §.* Quod autem. Vnde depromitur argumentum; quamvis receptum sit à Trebellianica negatiuè ad Falcidiam cōsequentiam valere, puta: Non imputatur in Trebellianicam. Ergo multo minus in Falcidiam, ut notatur in d. L. in quartam.

Quartò refragatur nostræ regulæ l. *Acceptis ad L. Falc.* 15
vbi quod capit heres rogatus caussa conditionis implemdæ, nō imputatur in Trebellianicam. Huic satisfacies ex eadem lege: ibi causa cōditionis implemdæ acceptū ideo non imputari, quod heres rogatus esset hoc ipsum alijs dare: quo fit, vt quod mansurum non est apud heredem, non imputetur, quia non videtur versum, quod non durat versum l. si pro parte §. versum, de in rem verso.

Quinto l. iubemus C. ad Trebell. idque bisfariam. — Pri- 16
mò, dum negat fructum in eam quartam imputari. Se-
cundò, quando jubet quadrantem ex rebus hereditarijs
confici: innuens legatum aut fideicommissum rei alienæ
non imputari, quod regulæ nostræ ex diametro aduersa-
tur, id est, l. in quartam & l. in fideicommissariam. Ad Tre-
bell. Ad primam inductionem respondebis, filiis primi
gradus specialiter fauore alimentorum, fructus non im-
putari, arg. l. l. *Defideic. nisi à tempore litis contestatae ut*
in h. c. Raynutius, iuncta gl. in verb. contestatae. Ad secun-
dam, speciale quoque esse secundum Acc. Ut liberi primi
gradus ea tantum imputent, quæ sibi ex substantia patris
tantum relinquuntur: arg. l. Scimus §. repletionem C. de in-
off. Qua ratione, idem Acc. censem L. filium quem C. Fam.
ercis, hodie corrigi per d. l. Iubemus. ut notatur in d. l. filium
in vers. hereditaria in fin. gl. Vel aliter: In specie facticius le-
gis, iubemus, res hereditarias rescriptum est tantum impu-
tari, quod in ea neq; legatum neque fideicommissum rei
alienæ

alienæ apparet esse relictum, quam obrem illud rescriptū ad suam facti speciem restringendum est, & non latius producendum: Quia ex facto ius oritur, vnde responsum debet conuenire quæsito. l. ut responsum C. de transact.

- 17 Sextò refragatur d. in quartā, vers. pro ea vero parte, vbi portio quam in prælegato corporis & hereditarij heres à coherdi accepit, non imputatur in Trebellianicam, Huic
- 18 satisfieri solet hac distinctione: Aut testator relinquit titulo simplici & vuniformi, & tunc siue hereditarius sit, siue legati, siue fideicommissi, aut causa conditionis impletandæ, totum relictum imputatur d. l. in quartam in 2. responso. Aut vero testator relinquit titulo difformi, duplo & mixto, id est, partim hereditario, & partim titulo legati, non hereditario, qualis est titulus prælegati, vt superius diximus: Et tunc quod in prælegato accipit heres iure & titulo hereditario, imputatur in quartā: quod autem accipit in eodem titulo legati, non imputat, sed ^{Nota} pre-
cipuum habet, quo fit ut in d. §. pro ea vero parte, portio coheredis, quæm heres accipit titulo legati & non hereditario, non imputetur, secundū Acc. Ceterum quæ sit ratio diuersitatis, quare illa portio non imputetur in prælegatum, & tantum legatum simplex & vuniforme totum imputetur; nondum conuenit, sed adhuc sub iudice lis est. Alc. c. 4. circa med. lib. 6. Parab. tres veterum recentes opiniones, & rationes diuersitatis, quibus quartā ipse
 19 adiecit. Prima est Acc. in L. in 4. in vers. à coherede, quam Bart. leuem esse fatetur, sed quia melior non occurrit amplectitur: portionem coheredis nō imputari, ne idem diuerso jure censeatur, L. Eum qui, de usurap: id est, ne eadē Trebellianica cōficiatur in eadē re, partim ex jure hereditario partim ex jure legati. Nā eo ipso, quod portio coheridis nō imputatur, sicut hereditariū prælegatū diuerso
 20 jure

jure cēsetur, vnde Lex illa ēū qui, obstat d. §. pro ea vero parte, tantū abest ut eiusdem sit ratio. Tum etiam quia sola, tām naturalia quam artificialia ex diuersis rebus cōficiuntur, d. l. ēū qui vbi domus cōstat & constituitur solo, tignis, lapidibus & testo. Tū deniq; quod sit expressū, in jure, prēlegatū diuerso jure censeri, L. Miles §. 1. d. leg. 2. Vbi si heres moritur ante aditam hereditatem prēlegati portionem trālfert ad substitutum vulgarem, portionem vero coheredis ad suum coheredem, instar legati simplicis transmittit.

Nota

Altera est Baldi in L. filium quem Fam. ercisc. C. portionē 21
coheredi ideo non imputari, ne diuersi tituli in eadem re cōfundantur, sed eundem habeant effectum imputatio-
nis, vt sicut differūt substantia, differant etiam imputatio-
ne. Huic obstat quod etiā diuersa in eadem re, eūdem ni-
hilominus sortiantur effectum d. l. Eum qui, de vſucap. Vbi
res mobiles solo coherentes, ex quibus vna domus confi-
citur, eodem tempore vſucapiuntur, & ita eodem iure
censentur, tametsi res diuersae sint. Tertia est distinguen-
tium inter legata rei propriæ & rei alienæ; vt in prēlegato,
quod sit de re propria, latior & benignior facienda sit in-
terpretatio, arg. L. Cum rem alienam C. de leg. Huic obstat,
quod rei tam propriæ, quam hereditatis eadem fiat intet-
pretatio L. vnum ex Familia §. si rem de leg. 2. Qua ratione
L. Cum rem alienā de re quæ nō est propria, aut heredis aut
testatoris, sed alterius cuiusvis intelligi debet, vnde secun-
dū istam rationē colligitur, portionē coheredis aut testa-
toris in prēlegato imputari debere, quia legatum simplex
& vuniforme, de re heredis factū totū imputatur, d. L. in 4.
in 2. resp. Et ita ista ratio retorquetur in auctorē & probat
cōtrariū. Quarta est, quā adiecit Alc. portionē coheredis 23
ideo nō imputari, quia imputatio nihil aliud est, quā que-
dā surrogatio loco rei hereditarię & iuris hered: sed huic
surrogationi non potest esse locus in portionē coheridis:

Ergo portio coheredis non potest imputari in quartam Trebellianicā, id est, subrogari in portionem hereditariā, quæ sub rogatio esset sui ipsius interitus, quod subrogatio non fingat aut faciat rem hereditariam, nisi quoad cōficiendam aut integrandam quartam, non etiam quoad titulum ac mōdum relinquendi, ut falso sibi persuasit Alciatus. Alioquin absurdū sequitur cōtra ipsius mentē, quod legata simplicia & vniuersitatis de re heredis nunquam imputentur. Nam cum per imputationem quam agnoscunt perinde subrogentur, expertia erunt imputationis, quia loco iuris hereditatij censem̄t sicut portio coheredis.

24 Quamobrem, cum nulla præcedentium rationum satis constare possit, nec vlla alia verisimilior in medium adseratur, ergo præter alios, rationem diuersitatis ex natura prælegati petendam censeo, nimirum portionem coheridis ideo non imputari, quia testator prælegando velle coniicitur, ut heres habeat hanc portionem præcipuam, quemadmodum satis colligitur ex præpositione *præ*, & natura eius relicti: quod prælegatum appellatur, quod ius quasi præcipuum cōtineat: quo fit ut non imputetur. Nam imputando, id est, tanto minus aliunde accipiendo, desiniret esse, contra mentem Testatoris, arg. *L. cum quo, fin. & l. Titia ad L. Falc.* Qua ratione nihil obstant legata & fideicommissa simplicia, quæ in vniuersum computantur in Trebellianicam, d. *L. in quartam in 2. resp.* Nam quamvis testator voluit heredem habere ea non tamen præcipua habere velle significatur, vel indicio verborum, vel alio signo ex natura relicti pendēte, quemadmodum in prælegato, indicio tamen opus est voluntatis defuncti, ut recedatur à communibus imputatio-

num

num regulis, d. l. cum quo §. fin. ponderando verbum probet
url. quod autem & L. Titia ad L. Falciad.

In summa igitur secundum Marcianum in l. in quartam,²⁶
vers. pro ea vero parte, vera ab omnibus recepta & indubita
tata iure ciuili regula est; prælegati portionem quartæ
Trebellianicæ imputari, idque supra dictis rationibus.

Ceterum huic regulæ multa refragantur. In primis
repugnat d. l. Titia ad L. Falciad. vbi portio hereditaria,
quam habet heres in prælegato non imputatur tota, sed²⁷
pro quarta parte duntaxat. Hic nodus dissoluitur com
muni calculo, nostram regulam intelligi, id est, portio
nem hereditariam totam imputari, quando heres detra
hit suam quartam contra aut præter voluntatem defun
cti ut docet idem I. C. in d. l. Titia in f. legem vero Titia,
intelligi quando heres detrahit quadratam ex voluntate
Testatoris, ut ibidem dicitur. Ego facilius respödendum
censeo, ex quatuor vincijs, quas habet heres jure heredira
rio in prælegato prædiorum, unam imputari in quartam
quia testator ita cauit, quādo iussit hereditatē restitui, re
tentia quarta ex omnibus, id est, rebus hereditarijs, & ita ex
prædijs prælegatis: alias vero tres vncias ideo non impu
tari, quia prælegando post relictum fideicommissum,
testator videtur eas omnes detraxisse de visceribus fidei
commissi, & ita voluisse, ut præter quartam, quam initio
iussit retineri, has quoque tres vncias, etiam iure here
ditario perceptas præcipuas haberet, quod certum & ins
dubitatum sit, portiones coheredum extra quartam esse
d. l. in quartam §. pro ea vero parte.

Secundò, & in eandem partem obijcitur l. deducta §.
acceptis vers. diuersa ad SC. Trebell. Vbi portio etiam he
reditaria nulla ex parte videtur imputari, Nam cum in

principio §. respondeatur nummorum prælegatorum totum imputari, Deinde subiicitur *in vers. diuersa*, prædiorum prælegatorum diuersam esse causam, ergo nulla ex parte, vel hereditaria prædia prælegata imputabuntur, alioquin non esset omnino diuersa ratio. Huic respondebitis, primò: diuersam esse causam, quando cohereditat nihil dat, nihil restituit heres: quo sensu *vers. iste diuersa*, refertur *ad principium §.* vbi heres instituebat extraneum, quo casu portio coheredis, quām habet in prælegato prædiorum, non imputatur heredi, sed eam habet præcipiam: & itadiuersa causa est respectu iustius portionis non hereditariæ.

Secundò & melius. *§. diuersa refertur etiam ad versum quod tum*, ceterum diuersam esse causam, partim respectu tituli, quia nummos accipit heres in solidum jure hereditario, *ut ibidem traditur*, idque propter functionem L. *Cum pater de leg. 2- junct. l. 2. si certum petatur.* ff. Prælegata autem prædiorum idem heres percipit pro parte, jure hereditario, & pro parte jure legati d. L. *In quartam vers. pro ea vero parte:* Partim differunt forma & ratione imputationis; quandoquidem nummi ipso jure omnino imputantur d. §. *Acceptis:* Sed prædia ipso jure, quoad portionem hereditariam, pro portione autem coheridis, cui mutuo dare iusflus est heres, ope & beneficio exceptionis & compensationis; iis ergo duobus perpenditur diuersitas, tametsi eadem sint, quoad effectum imputationis, nimirum isto casu, quando inter heredem & coheredem mutuae sunt præstationes.

30 Tertiò, & aduersus posteriorem partem regulæ, obstat d. l. *in quartam vers. sed in fideicommissaria in verbis fine*

DE IIS QVAE IN TREBEL. IMPVTANTVR. 31

sive percipere, sive deducere, sive retinere iussus, vbi in quartam Trebellianicam perceptiones indistincte imputantur, ergo & pro parte coheredis, ne dum pro portione hereditaria: perceptiones inquam, id est, prælegata L. 1. §. Si quis ex mortis, vers. qui vero, quorum legat. Huic dupliciter obuiam ibis. Primò, cum Accursio in verb. id imputatur, in eod. vers. ibi agi de prælegato non hereditario, in vers. autem pro ea vero parte, vnde nostra regula pendet, agitur de prælegato corporis hereditarij, cuius duæ sunt portiones; superioris autem vna tantum non hereditaria. Secundò & paulò melius: in præcedenti & obiecto vers. ponit regulam generaliter & indistincte; in nostro autem vers. Pro ea vero parte, ponit limitationem & distinctionem eiusdem regulæ.

Quartò eidem parti aduersatur d. L. deducta, in Acceptis 31
ad Trebell. vbi nummi prælegati omni ex parte imputantur; etiam pro parte coheredis. Cui vulgo satisfit distingendo tria genera prælegatorum, vnum est nummorum, de quibus extat regula, in solidum imputari, idque propter functionem, quam specialiter nummi recipiunt l. 2. §. 1. si certum petatur. Vnde lex in gratiam testatoris singit heredem de portione accipere, d. §. Acceptis 32
vers. diversa est causa. Tertium ex prælegatorum hereditariorum, de quibus etiam conuenit in vniuersum imputari, d. l. in quartam vers. sed in fideicommissaria secundum gl. intellectum in vers. id imputatur. 33

Postremò & ultimo refragatur L. filium quem, in verbis compensato præterea quod à coheredibus vice mutua percipit d. L. deducta §. Acceptis vers. cum autem prædia in verb. pecuniam, id est, estimationem, compensari placuit.

Ad

Ad Trebell. l. Heredi qui falso de his quibus ut indignis- iuncta l. Nescennius ad L. Falc. ubi prælegatum etiam proportione coheredis imputatur in Falcidiam, unde multo magis imputabitur in Trebellianicam Valet enim argumentum de imputatione Falcidiæ ad imputationem Trebellianicæ, per Acc. in d. l. *Filiū quem G. Fam. ercif.* Hic nodus soluitur in præfatis juribus, prælegata compensari & non imputari, idque specialiter & vno casu duntaxat, puta quando mutua est præstatio inter heredem & coheredē, id est, quando heres, cui prælegatur, inuicem aliquid dare jussus est: iste coheres excipit, æquum non esse, vt sibi diminuat legatum, cum à se heres accipiat prælegatum, quo debeat esse contentus heres, loco Falcidiæ. *Quamobrē pro concurrenti quantitate sit compensatio*, idque succedente alia æquitate, ratione æqualitatis, cuius testator ab initio legando & prælegando videtur rationem habuisse, arg. l. cum pater § Euictus de leg 2. Vel facilimè respondebis; duplicem esse imputationem; vna est communis, quæ fit ipso iure. & prodest omnibus, de qua intelligitur d. l. in quartam & l. *Filio Ad l. Falc. & huic imputatio-* ni non est locus in portione coheredis, neque in legatis, quæ imputantur in Falcidiam, secundum iura præfata. Alia est imputatio, quæ fit iure singulari, per exceptionem & compensationem tantum, quæ ijs tantum prodest, à quibus heres inuicem accipit, ceteris autem legatariis minimè, d. l. *Nescennius & l. Heredi qui falso, de his quibus ut indig. iuncta l. Filio ad l. Falc. Specialis ergo dicitur, quod huic tantū locus sit vno casu,* quando mutua est præstatio, *vt diximus.*

DE

DE IIS, QVÆ IMPVTANTVR
in Falcidiam.

Synopsis.

1. *Hic tractatus duabus regulis continetur.*
2. *Prior: Eain quartam Falcidia imputantur, qua hereditario iure, defunctiq; indicio ab herede percipiuntur.*
3. *Longè plura imputantur in Trebellianicam, quam Falcidiam.*
4. *Non sufficit ad Falcidia imputationem faciendam rem esse hereditariam: sed necesse etiam est, ut & ea, iure & titulo hereditario possideatur.*
5. *Ex priuilegio Iustiniani, in liberorum primi gradus quartam, fructus non imputantur.*
6. *Posterior regula: Ea quæ iure legati, Fideicommissi, vel implenda conditionis causa, aut quolibet alio titulo particulari capiuntur, in Falcidiam non imputantur.*
7. & 16. *Verbum imputandi duobus modis accipitur in tit. ad L. Falcidiam.*
8. *Duplex est imputatio: una legis, altera homines, sive testatoris.*
9. *Hac est voluntaria: illa necessaria.*
10. *Implenda conditionis causa acceptum imputatur, si id quod accipitur est alienum: secus tamen, si est hereditarium.*
11. & 18. *Ratione imputationis vera & propria, qua ipso iure fit, legata non imputantur.*
12. *Respectu tamen impropria imputationis, qua ex equitate & per compensationem, legata imputantur.*
13. *Ratio duplex.*
14. *Differentia vera & quasi imputationis.*
15. *Corriguntur L. filio & filia 94. in fin. ff. ad L. Falcid.*
17. *Computatio legatorum bifariam sit.*

E

Hacte-



ACtenus de Trebellianica; nūc de Falcidia
differendī est, cuius Tractatus duabus regu-
lis præcipue continetur secundum *Marcianū*
in d. l. in quartam ad L. *Falc.* Prior est: quar-
tam Falcidiā ab herede imputari, quodcunqne iure ac
titulo hereditario accipit. Quid autem sit titulus her-
editarius, & quæ iure hereditario accipiātur, ad principiū
multis docuimus exemplis, in quibus hæc nostra juris
hereditarij imputatio locum habet. Quibus etiam addas
fructus legatorum aut fideicommissorum, quæ in diem
aut sub conditione reicta sunt, quos ante diei vel condi-
tionis euentum perceptor heres imputat, ut hereditari-
os L. *Quod de bonis §. Fructus L. in L. Falcidia, quæ est 45. Ad*
L. Falc. iuncta L. 3. C. de fideicommiss. libert.

Ceterum hanc regulam in primis oppugnat *L. Titia, ad*
L. Falc. vbi totum quod accipitur iure hereditario, non
imputatur in Trebellianicam. Ergo neque in Falcidiā
imputatur; quia longe plura imputantur in illam
quam in hanc. Ideò, ut valeat argumentum negatiū:
3 Non imputatur in Trebellianicam, ergo multò minus
in Falcidiā. Huic obiectioni sup: abundè satisfactum
est, totum scilicet ius hereditarium non imputari.

Secundò refragatur *L. Si à me ad L. Falc.* vbi heres rem
hereditariam non imputat. Huic satisfacies cum IC.
in eadem lege; rem quidem hereditariam esse, sed non
titulum hereditarium; quo fit ut non sufficiat ad impu-
tationem faciendam rem esse hereditariam, sed oportet
at præterea iure & titulo hereditario eandem ab herede
possideri.

Vltimò *L. iubemus C. ad SC. Trebell.* vbi fructus quos
filius percipit pendente conditione fideicommissi & ita
iure

iure & titulo hereditario d. L. 3. de fideicommiss. libertatib. non imputantur in Trebellianicam, ergo multo minus in Falcidiā. Hoc quoq; Argumentum sup. submotum est speciale esse in persona liberorum primi gradus, vt ⁵ fructus in eorum quartam non imputentur, ex priuilegio secundum Imper: in eadem lege. Sed nos hic loquimur de iure communi, id est, de his qui reguntur iure communi, in quibus nostra fructuum imputatio locum sibi vendicat d. L. quod de bonis §. fructuum.

Posterior regula est; ea quæ accipit heres titulo legati ⁶ Nota fideicommissi, causa conditionis implendæ, aut alio quolibet particulari, non imputantur in Falcidiā, sed ea omnia præcipua sibi habet heres, vt leuius & facilius ferat onera hereditaria, quibus est obnoxius omnino etiam solitus legatis. L. fin. C. de hered. act. Ratio differentia ⁷ est huius regulæ cum superiore; accepta sc. titulo hereditario in quartam Falcidiā magis imputari, quam ac, cepta titulo particulari aut fideicommissi; quod maior sit proportio & similitudo iuris hereditarij cum herede, hereditate & quarta hereditatis. Nam hereditas titulus hereditarius, siue ius hereditarum coherentia & admixta habent onera L. si hereditatem, mandati iuncta L. fin. C. de hered. act. ideoq; tanquam in symbolizantibus facilior quoque est transitus & ita imputatio L. in rem §. item quæcunq; de rei vind. Sed particulares tituli legati fideicommissi & similes ferendis hereditarijs oneribus non destinantur. immo immunes sunt, nullumque onus agnoscunt, d. L. fin. de hered. act. §. Legataris de leg. Instit. Vnde etiam fit, vt non adeò facilis sit horum in quartam Falcidiā imputatio, quia non est tantum symbolum, proportio & similitudo.

Huic tamen regulæ multa aduersantur. Primo L.

in quartau ver. sed in fideicommissaria, vbi omnes istas particulates tituli imputantur in Trebellianicam : tum quia vtriusque eadem est ratio. §. Sed quia heredes de fideicommiss. heredit. Instit. iuncto §. 1. de lege Falc. Instit. : tum etiam , quia ratio diuersitatis nulla reddi posse videatur, ergo eadem est vtriusque imputatio, L. A. Titio, de verbis. oblig. Huius sup. occursum est, Accepta sc. titulo particulari in Falcidiā non imputari, & vice versa eadem in Trebellianicā imputari, quia grauatus in uno, in alio sit reuelandus, & contra : vulg. L. eum qui, de iure iur. Quamobrem cum heres Falcidius solutis legatis adhuc vniuersa sustineat onera , d. L. fin. de hered. act. C. æquum visum est Legislatoribus. vt particulari titulo accepta, nō imputet in suam quartam, nimirum vt ijs adiutus, id est, jure ipso præcipuo legatorum & fideicommissorum, leuius & facilius ferat onera illa hereditaria, fitque eodem Axiomate, vt heres Trebellianicus eosdem titulos sibi imputet, quia restituenda hereditas ad fideicommissarium transfert onera, & ita seipsum exonerat, §. restituta, de fideicomiss. hered. instit. vnde etiā æquum visum est eisdem legum conditoribus, vt plenius & integrius restituat fideicommissum, ijs sc. ad quos transferuntur onera. Ex quibus manifestum est, quod attinet ad imputationem, inter Trebebellianicā & Falcidiā, rationem diuersitatis esse certissimam. Nec repugnat d. §. sed quia heredes de fideicommiss. heredit. quia loquitur de institutione vtriusque quartæ, cuius instituendæ eadem est ratio, vt uterque & Falcidiā & Trebellianicā heres ad eundum inuitetur præmio & beneficio quartæ, ceterum nos in hac Regula nostra loquimur de imputatione, cuius diuersam longe rationem ostendimus.

• Secundo eidem regulæ obstat L. cum quo §. fin. Ad L. Falc.

Falc. vbi particularis donationis titulus inter viuos etiam in Falcidiā imputatur, cui obiectioni infra paulò post respondebis. Tertio L. i. §. Item si ita legatum sit ad L. *Falc.* vbi legata imputantur in Falcidiā secundū Pauli sententiā. Hoc diluitur, verbum imputare æquiuocū esse. Nam primò accipitur pro computari & connumerari, recenseri inter legata, vt constare possit, in quantum heres supra dodrantem grauatus sit, & ita an locus sit detractioni Falcidiæ, & in quanto. Quo sensu Paulus usurpauit in §. Item si ita & rursus in L. *Nesennius*, in ver. planè & in L. in quartam, eod. Secundò accipitur imputare pro eo quod est loco Falcidiæ aliquid accipi, quod eius vicem suppletat & eam repræsentet; quo sensu nos vtimur in regula nostra cum Marciano in d. *In quartam*. Et hæc significatio iniure ciuili longè frequentior est, quam præcedens.

Quartò L. Si à seruo, quæ est 20. Ad L. *Falc.* vbi quoque contrario sensu legata imputantur in Falcidiā, si valeant & debeantur. Cui respondebis secundum præcedentem AEqui voci distinctionem.

Quintò L. Non est dubium, eod. tit. vbi legata deficientia & inutilia imputantur in Falcidiā. Occurritur, ea quidem imputari, non quia legata sunt aut dicuntur respectu heredis; alij enim quam heredi fuerunt relicta, sed imputantur mutato nomine tanquam effecta ius heredis. Nam quia defecerunt nec præstantur à quibus erant relicta, eadem sibi heres retinet, iure tamen & titulo hereditario non legati aut fideicommissi.

Sextò, L. Quod autem ver. sed si ideo Ad L. *Falc.* vbi legata quæ verè talia sunt, quadranti imputantur. Huic respondebis, duplē esse imputationem: vna est legis, eorum quæ lex iubet imputari, de qua specie agitur in d. L. *In quartam* & in nostra Regula, & hoc sensu legata non

imputantur. Altera est, imputatio hominis & testatori eorum quæ testator jubet imputari, cuius tantus est fauor tantaque potestas, vt non imputabilia faciat imputabilia per exceptionem & æquitatem L. Filio, eod. de qua specie loquitur præfata l. quod autem. Differt autem hæc species imputationis à superiore, quia hæc est voluntaria, id est, hanc facit heres si velit, & non coactus, puta si malit carere legato, & ex singulis legatis Falcidiā detrahere: Illa verò est necessaria, quam per selex facit, vt nulla ex parte pendeat à voluntate heredis, d. l. in quartam iuncta L. filio eod.

Septimò L. si dignum & l. Qui fundum eod. vbi pretiū, quod heres accipit ex re vendita secundum præceptum testatoris, & ita titulo particulari venditionis, in eundem Falcidiæ quadratrem imputare tenetur. Huic satisfit istud pretium ideò imputari, quia per subrogationem, hereditarium factum censetur L. Sed si rem & pretiū, de petit. hered. L. Imperator §. fin. cum seq. de leg. 2. vt pretium succedat loco rei, & quadratrem heredit: quod subrogetur loco rei hereditarię, adeò, vt heres iussus vendere hoc aut illo pretio, non succedit loco rei particularis, Nam ibi non fuit res vendita iussu testatoris & domini, quemadmodum in L. si dignum, vbi fauorabilis testatoris voluntas maiore ex parte facit hanc subrogationem.

Ottavo, L. Quod si pupillus ad L. Falc. vbi datum causa conditionis implendæ in eundem quadratrem imputari debet. Hoc ita diluitur; acceptum causa conditionis implendæ nō imputari, d. l. in quartam in 2. resp. vnde nostra regula petita est, quando id. quod datur, est alienum. Ceterum si hereditarium sit quemadmodum est, quod debetur defuncto, in totum imputabitur, de quo generet loquitur d. l. Quod si, tum quia huiusmodi datum intelligitur da-

tur dari magis dissoluendæ obligationis hereditariæ causa, quam conditionis, simplicis: tum etiam quia heres id non accipit causa cōditionis, iure hereditario, quod obligatio naturalis tantum sit affixa hreditati L. 1. §. *Id quod natura ad L. Falc.*

Nono L. *Id autem ver. sānē, eod.* vbi heres nummos peculiares, quos tantum causa conditionis implenda, ab statu libero accipit, imputat in quartam Falcidiam, Hoc quoq; diluitur secundum præcedentem distinctionem: peculiares sc. nummos imputari pro portione hereditatis, quod, quamvis sub conditione datos, ab statu libero accipiat iure hereditario, & tanquam hereditarios. Huic tamen solutioni & responso I C. in d. & vers. *sānē*, obstat re videtur ex diametro L. denique §. interdum de pecun. leg. vbi quoties seruus iubetur dare peculiares nummos heredi, testator tacite creditur legasse peculum seruo, ergo peculiares nummos accipit, à seruo & statulibero titulo legati, & proprios serui, non iure hereditario quasi proprios heredis, L. si à me, ad L. Falc. vbi quod heres accipit à legatario, quamvis hereditarium fuerit & ab herede prius acceptum, heres tamen titulo legati aut fideicommissi à legatario. Hæc replicatio tollitur in primis heredem peculiares nummos accepisse, ver. *sānē*, titulo perceptionis, sua solius opera & factō, vt colligitur ex verb. *cepit*: non causa conditionis implenda; quo casu procederet §. interdum, vt eos nummos legasse videretur testator statulibero. quos dare non posset, nisi prius suos factos per tacitū præcedens legatum: vel, fateti licet, in d. vers. *sānē* agi de dādis nummis peculariibus & eos legatos intelligi statulibero, d. §. interdum, hereditarios censeri tamē ante impletam conditionem, quia ante adhuc seruus est & in capax dominij & peculij.

Decimò *L. Nefennius* quæ est 22. Ad *L. Falc.* vbi legatum quod heres accipit à coherede imputatur in quartam Falcidiam, quam heres non detrahit de legato coheredis. Huic obiectioni sup. satisfactum est in dissolutione vltimi-contrarij aduersus regulam quartæ Trebellianicæ. Imputationem nimirum esse duplicem; vna est propria & vera, quæ fit ipso iure ad vtilitatem omnium legatario-rum indistinctè, vnde etiam communis appellari potest, quod omnibus prospicit, *L. filio ponderando illa verba, respon-det, iure quidem id postulatur,* Ad *L. Falc.* quæ est 93. de qua specie loquitur & intelligitur nostra regula & responsum Marciani, vnde hausimus regulam in *L. in quartam ad L. Falc.* Hac ergo imputatione legata non imputantur. Altera est imputatio, quæ fit non ex ipso jure, sed ex æquitate & per compensationem, quæ cum fiat in gratiam eius, à quo heres mutuo accepit, specialis dicitur, & magis propriè compensatione quam imputatio *L.* dedueta §. Accep-tis ver. cum autem, ad Trebell. I. Filium quem habetem C. Fa-mil. ericis. in ver. compensato præterea quod à coheredibus vi-ce mutua accepit. De qua specie imputationis & compensationis loquitur regula nostra *L. Nefennius*, secundum quam speciem legatum, quod heres mutuo accepit à coherede, imputatur in quartam Falcidiam compensando legatum & accipiendo loco quartæ, quam non detrahit pro concurrenti quantitate, *d. L. Nefennius & d. §. Accep-tis vers. cum autem.* Huius autem compensationis duplex occurrit ratio; Prior petitur ex coniectura voluntatis ipsius testatoris, qui creditur mutuum reliquisse, vt alterum altero compensaret, *L. cum pater §. euictis de leg. 2.* Secunda ratio petitur & depromittur ex illo juris principio: Quod quisque juris in alium statuerit, ipse eodem jure vtatur, *L.* Quod quisque iuris de *R. I.* Aequum est igi-tur, vt

tur, ut heres qui legatum integrum accepit à coherede, præstet quoque coheredi nō diminutum, seu detractum:

Differunt præterea istæ due imputations & eo potissimum, quod ea quæ sit ipso iure communi, necessaria est, quam lex per se commodo omnium legatario-rū etiam inuito herede facit *d. L. in quartā quæ est 91. iunctā L. filio. quæ est 9. ad L. Falc.* Hæc vero, quæ nititur aequitate, quæ per exceptionem & compensationem fit, commodo eius duntaxat, à quo heres mutuo legatum accepit, voluntaria & spontanea est, in qua facienda eleætio est coheredis, an malit legatum à coherede sibi relictum, & abstinere à de tractione Falcidiæ, an contra, malit detrahere quartam Falcidiæ de legato à se coheredi relicto & repudiare legatum, quod est à coherede sibi relictum *d. L. filio vers. fin.* Vbi obiter obliterabis cum Accur. 15 quò facilius mentem IC. assequaris, loco verbi: solendum: legendum esse solidum.

Vltimò obstat eadem *L. Nescennius in vers. planè*, vbi legatum etiam à coherede relictum aliqua ex parte, ad utilitatem omnium legatariorū, nedum eius, à quo accipitur, imputatur. Huic respondebis quemadmodum in solutione tertiae obiectionis aduersus eandem regulam: puta, verbum imputari: æquiuocum esse, & in regula nostra usurpari pro eo, quod est cedi & accipi loco quartæ Falcidiæ: in hoc vero *vers. planè idem* verbum usurpari pro censeri & inter legata cōnumerari, & ideo legatū à coherede acceptum, quamvis nō imputetur secundum primam significationem, imputatur tamen secundum alteram: sed ista imputatio nihil repugnat regulæ nostræ, cui non est contraria.

Verum rursus huic §. *planè* refragatur idem *Marcianus in d. l. in quartam ver. fin.*, vbi tota centum, & ita vniuer-

sum legatum computatur ceteris legatarijs; & tamē *Pattius in uer. planè* totum siue vniuersum legatum non imputari ait. *Huic replicæ satisfacies, & duo hæc responsa,*
 17 *quæ omnino aduersa videntur, conciliabis, secundum præcedentem distinctionem.* puta; computationem & connumerationem & calculum legatorum bifariam fieri, primo, vt appareat an & quatenus locus sit detractioni ipso iure communi ad utilitatem omnium legatariorum; quo sensu, qua supputatione & calculo, omnia legata, eaq; integra, censemur & computantur, vt appareat, à singulis legatis in quantum sc. delegatis omnium legataorium sit detrahendum, De qua specie calculi & supputationis loquitur *Marcianus in d. L. in quartam in suo versfinali.* Altera vero & secunda est computatio, connumeratio & calculus legatorum, qui specialis est, id est, qui fit, vt intelligamus an & quatenus sit locus detractioni Falcidiae, eo casu sc. quo heres speciali iure sibi imputat in quartam, legatum quod à coherede accepit: *quod casu Paulus respondit in d. L. Nesciens,* quando tractatur de trahenda Falcidia à ceteris Legatarijs, à quibus nihil mutuum accepit heres, totum legatum, quod præstat coheredi, non esse computandum legatarijs, sed quantum daturus esset heres coheredi, si nihil à coherede percepisset, id est, computandum legatum & quasi detracta Falcidia, ne quam à coherede (à quo iniucem legatum accipiebat) non detrahit, à legatarijs detrahatur, quod negat Paulus heredem posse, ne beneficium coheredis, de non detrahenda ab eo Falcidia, retorqueatur contra Legatarios. In summa, aut tractatur de quarta Falcidiae detractione ineunda & facienda summo & stricto iure, quo casu omnia legata, eaque integra supputantur, & in calculum veniunt

veniunt, ut ab omnibus legatarijs indistincte, siue heres mutuo accipiat, siue non, quarta legatorum detrahatur, secundum communes & inflexas iuris communis regulas, & legatum, quod mutuo accipitur, siue causa conditionis implenda, præcipuum & extra quartam secundum juris seueritatem retinetur ab herede. Et hoc sensu loquitur seuerus ille Marcianus *in L. in quartam inf. ad L. Falc.* Aut vero tractatur de quartæ Falcidiæ detractione incunda & facienda extra ordinem, ex bono & æquio, veluti secundum regulam Lesbiam, quæ fit per exceptionem & compensationem, de qua loquitur nostra *L. Nescannius & d. L. filio, eod.*

Et tunc quando agitur de detrahenda Falcidia ab his, à quibus heres nihil mutuo accipit, eadem scilicet cœstante in persona eorum à quibus contra vicissim aliquid accipit, totum quod heres præstat absque detractione, ijs à quibus tantundem accipit, non imputatur, nec venit in calculum ceteris legatarijs, à quibus nihil accepit, quoad effectum scilicet, ut Falcidia, quam heres non detrahit de legato coheredis, à quo inuicem accipit, detrahat eo amplius de legato aliorum, à quibus nihil accipit; sed duntaxat tātum computabit quantum daturus esset, si nihil percepisset, id est, quantitatatem, quæ superfluet deducta Falcidia. Verbi gratia, si heres iussus sit dare coheredi quadraginta, & ex aduerso coheres 10, tota 40. non computabuntur, ceterum legatarijs quasi nihilo accepto pro Falcidia, ita ut eam deducere velit contra istos legatarios, sed computabit duntat triginta, quæ dedisset coheredi, si nihil ab eo accepisset heres, & ita fiet imputatio legati quasi jam habita & detracta Falcidia per compensationem,

vt hodie contendat cum ceteris legatarijs de eadē aduersus eos detrahenda.

C A P V T VII.

Ad interpretationem L. Nefennius & L.
in quartam ff. ad L. Falcidiam. variæ
quæstiones ac cōtrouersiæ discutiūtur.

Synopsis.

1. Quæstio.
2. Affirmatur.
3. Maius est impedimentum imputationis in legato, quam in prælegato.
4. Naturafortior accidente.
5. Negatur; prælegata scil. pro proportione coheredis imputari.
6. Adfirmantia tamen, resecta negantia sententia retinetur.
7. Implenda conditionis causa accepta imputantur in quartam Falcidiam.
8. Premittuntur quedam generalia.
9. Implenda conditionis causa datum, neq; legatum est, neq; si deic commissum.
10. Dicitio V E L ponitur inter diversa.
11. Mortis causa capio duobus modis accipitur.
12. Implenda conditionis causa relictum quid sit.
13. Adfirmantium sententia.
14. Negantium rationes, confutantur num. 16.
15. Distinguuentium opinio, reicitur num. 20.
17. Summum ius, summa iniuria.
18. In potestate heredis est, Falcidiam detrahere.
19. Conditionis implenda causa relictum tum demum imputatur
si heres eligit & manut. à coherede istud accipere.
21. Verbatit. Quod quisq; iuris in alium, &c. cum effectu sunt
intelligenda.

L- Nefen-

22. *L. Nescianus omnium difficilima & quare.*

32. *Vary circa d. L. Nescennius discutiuntur intellectus.*



Væsitum est, an decisio *L. Nescennius*, quæ de 1
simplici & vuniformi legato compensando lo-
quitur, ad prælegata corporum hereditario-
rum pro parte legati, quam in eis accipimus à
coherede, extendatur, vt ne dum portio hereditaria, sed
etiam legata coheredis in quartâ Falcidiâ heredi mutuo
danti, & Falcidiam ex eo detrahere volenti imputetur.

In hac quaestione duplex est opinio. Prior & receptior, 2
in prælegatis locum esse decisioni *L. Nescennius*, & ita
portionem coheredis, quam coheres erat habiturus in
prælegato compensari cum portione, quam heres vult
detrahere delegato à se coheredi relicto. Huius primum
fundamentum desumitur, ex d. *L. heredi qui falso, de his*
quibus ut indig. Alterum est, ex *L. deduccta §. acceptis verbis*
cum autem prædia, quæ lex est 58. ad Trebell. Tertiò quod ea-
dem ratio quæ suadet legata mutuo accepta imputari in
Falcidiam, suadeat quoq; prælegatorum imputationem
ex parte coheridis, nimirum conjectura voluntatis defun-
cti, d. *L. cum pater §. evictus, de leg. 2.* & æquitas Axioma-
tis, quod quisque iuris in alium statuerit, ipse eodem iu-
rue vtatur d. *L. 1. quod quisq; iuris.* Imò longe maior est ra-
tio, quod prælegatum imputetur & compensetur quam
simplex legatum, quia maius est impedimentum impu-
tationis in simplici legato, cuius natura est expers impu-
tationis d. *L. in quartam* quam in prælegato cuius im-
pedimentum est disformitas tituli, & ita accidens, d. *L.*
in quartam vers. pro ea vero parte. Receptum enim est in
iure ciuili, naturam esse fortiorem accidente, & illi ideo
præualere, *L. qui habet, de tutelis.*

5 Altera est opinio, prælegata pro portione coheredis nō imputari, neque compensari d. L. in quartam vers. pro ea vero parte quam accipit heres à coherede. Deinde d. L. deducta §. acceptis verbis diuersa est causa prædiorum, vbi & in casu mutuæ præstationis, & ita in specie L. Nefennius prædia prælegata, nō imputatur pro portione quā heres accipit à coherede. Sed priorem secutus opinionem ad utrumq; respondebis, secundū ordinariam & regularē imputationē quæ fit ipso iure, prælegata pro portione coheridis nō imputari, & ita procedere L. in quartā v: pro ea vero parte, & l. deducta §. acceptis per diuersa. Secundū vero extra ordinariā & irregularem imputationē, quæ fit ex æquo & bono, per exceptionē & compensationē, prædia prælegata, etiam pro portione coheredis imputantur & compensantur, cōtra regulæ seueritatem, d. L. Nefennius. Quo sensu loquitur & intelligitur d. l. Nefennius. Quā distinctionē opacam reliquit Iurisprudentiæ Coriphæus Scæuola IC. in l. filio, quæ est 63. ad L. Falc. Nominatim ad l. in quartam vers. pro ea vero, respondebis, ibi heredem, qui accipiebat prælegatum à coherede, non fuisse viciissim grauatum de aliquo dando heredi, & ideo, quia deficiebat mutuæ præstationis materia, deficiebat quoq; compensatio à Pauto præscripta, in d. l. Nefennius, & à Scæuola in d. l. filio ver: respondi ad L. Falc. quæ de mutuo dāte & accipiēte, inter quos sit compensatio loquūtur. Ad leg. vero deducta §. acceptis ver. diuersa, nominatim quoq; satisfacies: ibi disputari de uno modo imputandi, iure hereditario: quo modo & iuste, toti nummi imputatur ex hereditate, non etiam tota prædia prælegata, sed pro sua, id est, heredis, parte tantum. Nam portionem coheredis, quam habet in prælegato, titulo legati accipit nō iure hered: vt ibidem docet L. Sed an portio ista coheredis compescetur secund. L. Nefennius non

non negat IC. imò cōtra, ex professo compēsari, id est, ex bono & aequo imputari assenerat *in seq. v.* cū autē prædia, in quo IC. probat, quod prius dixit, vnam partē prælegati ac-
cipi à coherede ea ratione, qua antiquis legislatorib: visū
est. vtroq; heredū vicissim & supra dodrantē grauato, de
prælegato compensationē fieri, ad concurrentem quāti-
tate vlsq; de superfluo vero prælegati, id est, de aestimatio-
ne & quantitate, excedēte partem compensatam, Falcidie
detractiōnē fieri. Huius autē ver: cum autem prædia, spe-
cies in hunc modum effingi potest: Testator habens 200
aureorū patrimonijū, duos heredes primum & secundū,
equis ex portionibus heredes facit; & cum fundū haberet,
valentem 40, primum rogauit, vt restitueret secundo 10:
partem suæ portionis hereditarie, quā idcirco valebat 10,
deinde alia plura legata extraneis reliquit à singulis here-
dibus, vt in persona vtriusq; locus sit detractioni quartæ.
Quamobrem, quia primus volebat detrahere quartam
Trebell. de 10 parte hereditatis, quā erat iussus restituere
secundo coheredi suo, & nihilominus contēdebat habere
principium prælegatū quo ad portionem coheredis, secū-
dum Marciani definitionem *in d.l. in quartam v: pro ea ve-*
ro parte. Secundus vero ex diuerso obiectiebat compensa-
tionē prælegati pro parte, quam primus accepit à se sc. se-
cundo: ad quā primū vrgebat, prolato Pauli consilio *in d.*
l. Nefen: Falc. cōtēdebatq; præterea de superfluo prælegato
quartā Falc: sibi deberi, & detrahendam esse. De qua con-
trouersia extat elegans resp: *in n. v. cum autē*, primum he-
redē detrahere volentem quartam de 10 parte heredita-
tis, quā iussus est restituere secūdo, loco eius quartę impu-
taturū & compensaturū prælegatū, quod accepit à cole-
rede, pro cōcurrenti quantitate. Secundū vero de super-
fluo prælegati, id est, de aestimatione & quantitate præle-
gati

gati excedente partem compensatam, detraeturum Falcidiam. Quare cum prædia valeant 40, & ita heres accepit à coherede 20, decem, quibus valet portio hereditatis, quam primus est iussus restituere secundo, compensabuntur cum alijs decem ex prælegato, ut nihil detrahatur primus pro concurren*t*i illa quantitate. De reliquis vero decem, quæ super sunt ex prælegato. Secundus coheres, quia grauiatus perinde est supra dodrantem, detrahatur Falcidiam sibi debitam.

- 7 Rursus quæsitum est, an ab herede acceptum causa cōditionis implendæ, in Falcidiam imputetur, saltem ad
- 8 commodum dantis, secundum præfatam L. Nescennius. Hic præfandum, istud relictum neque legatum, neque fideicommissum, sed speciem ab his diuersam esse, secundum Marcianum in d. L. in quartam in verb. vel implende conditionis, causa, ponderando particulam vel: cuius natura est, vt ponatur inter diuersa, secundum interpr. in Rubric. si ager ve*c*t: cui suffragatur, L. si quis sub conditio*n*e dandorum 10.. Si quis omis*s*si cau*s*sa test. vbi pro eo quod relinquitur cau*s*sa conditionis implendæ, actio non datur; quia is cui relinquitur non est legatarius. Accedit tertio L. id autem ad L. Falc. vbi cau*s*sa conditionis implendæ relictum & acceptum, vocatur mortis cau*s*sa capio, iuncta L. mortis cau*s*sa capitur & L. inter, de donat mortis cau*s*sa, vbi relictum quod vocat, proprio nomine appellatur mortis cau*s*sa capio
- 11 Accipitur autem mortis cau*s*sa capio duplíciter: Primò, pro eo omni relicto, cui mors alicuius præbet capienda occasionem, siue nominatim sit sine institutione legatum fideicommissum, siue nominatim, ut est cau*s*sa cōditionis implendæ relictum; quo sensu hīc usurpamus, d. L. inter, ver. mortis, perpendendo particulam implicatiuam. Secundò accipitur Pro relicto innominato, cui mors alii cuius

cuius capiendi occasionem præbet, d. L. mortis cauſſa capitur, quale est relictum cauſſa conditionis implendæ quo ſenſu hic utimur, d. l. id autem ad L. Falc. & aliaſ ubiq. in dubio. Cauſſa ergo conditionis implendæ relictum nihil aliud eſt, quam relictum, innominatum, quod iussus dareteneretur, ut ſub ea dandi conditione datum: conſequatur L. à teſtatore, & de condit: & demonſt. Porro superioribus aduersatur idem Martianus, vere Martius & bellicosus, in eadem L. in quartam ver: ſed & quod vbi proprio & ſimplici nomine, puta fideicommissi appellat iſtud relictum cauſſa conditionis implendæ. Huc nodum ſolutum Bart. & communis ſcribentium ſchola, interpretando hæc verba, quod fideicommissum hereditatum, id eſt, quod ab herede dandum iniungitur. Qua interpretatione quod accipitur conditionis cauſſa, non appellatur fideicommissum, ſed quod ab herede datur ei, à quo aliquid accipit ſub ea dandi conditione. Sed hæc ſolutio inepta videtur, tum quia offendit verba legis; tum etiam, quod falſum ſit, fideicommissum, quod heres præſtat alteri, in quadrantem ſibi imputari. Ea enim tantum imputantur, quæ heres accipit, non etiam quæ ipſe dat alteri, d. l. in quartam in pr. in v: accipit. Alciatus c. 4. in f. 6: parad. comminiscitur post relictum cauſſa conditionis implendæ, teſtatorem rogaſſe eum, qui dare debebat, cauſſa conditionis implendæ ſecundū priorem diſpositionem, ut eundem fundum per fideicommissum daret heredi. Sed hic intellectus diuinatorius eſt, & ideo rejiciendus. Alij in ſuis codicibus deficere verbum iſtud: fideicommiss: vnde dicuntſi expungatur, nō obseruit. Sed hæc ſolutio ridicuela eſt, & pernicioſa exemplio. Ego præter alios censeo, iſtud verbum velidem relictum fideicommissum, non eſſe ſimpliciter vel absolute, ſed cum adiun-

et, id est, fideicommissum causa conditionis implendae.
 Quaratione perinde censetur, in nominatum, cum adhuc
 designetur per circumlocutionem: sicut apud Legi-
 cos homo mortuus non est homo simpliciter, sed cum
 adiuncto & determinatione, mortuus homo. Vnde
 non est bona consequentia, Est homo mortuus, ergo est
 homo. AEthiops est albus secundum dentes, ergo
 est albus absolute. Quia à dicto secundum quid ad
 dictum simpliciter, non est bona consequentia. Et
 hoc sensu puto istud relictum appellari fideicommissū,
 quod relinquitur ad verborum conceptionem (accepta
 pecunia) L. fideicomissa, qua est x i. §. cum esset de leg. 3.
 iuncta L. à testatore de conditione & demonstratione.

Hactenus digressus, redeo ad propositam questionem,
 13 in qua tres opinione s natus sum. Prima est Ioan. & Acc.
 in d. L. in quartam ver: fin. in verbo legatarijs & in L. pen.
 verbo beneficio C. eod. Relictum, eaussa conditionis iniplē-
 de imputari & compensari ad utilitatem eius à quo accipi-
 tur: ad aliorum vero legatiorum utilitatem à quibus
 nihil accipitur, non imputari quo minus patientur Fal-
 cidiam. Huius opinionis fundamentum vnicum & so-
 lidum est, quod petitur ex L. Nozennius in arg. ad L. Falci-
 diam. Cuius ratio & aequitas non minus militat in isto
 genere reliqui, quam in simplicibus legatis & prælegatis,
 L. deductā §. acceptis verbis cum autem ad Trebell. L. Quod
 autem L. filio ad L. Falc. iuncta L. filium quem ver: compen-
 sum C. Fam. ercise.

14 Altera est cyni & consortium, istud relictum nun-
 quam imputari etiam in fauorem datis, primo l. in quar-
 tam in 2. respon: L. id quod, eod. Secundo, eadem l. in quar-
 tam in f. l. ad veterani §. i. eod. ubi totum legatum com-
 putatur ceteris legatarijs & totum relictum caussa conditio-
 nis

nisi est præcipuum heredi, ergo nulla ex parte imputatur etiam in fauorem dantis, quia eo casu non imputaretur totum legatum ceteris, d. l. *Nesennius* ver: planè tertio L. si fundus qua est 45. ad L. Falc. Vbi negata compensatione, is qui dedit causâ conditionis implendæ, subiicitur L. Falcidiæ.

Tertia est Bartoli & multorum sequacium, istud re 15
lictum compensari, quando heres nondum possidet, sed petit sibi dari, tunc enim datus excipere potest, vt sibi inuicem detur integrum legatum, & hoc sensu procedere & intelligi d. L. *Nesennius*: idem autem reliquum non imputari, sed præcipuum haberit: imò & Falcidiā detrahi, si heres possideat utrumque & caussâ cōditionis implendæ. In quo præstanto legatarius fuit diligentior & præuenit heredem, non eget heres petitione, Quo fit, vt is qui præstigit relictum, nullam habeat exceptionem contra petitionem & actionem heredis, quæ iam nulla est, post factam solutionem, & isto casu putat Bartolus cum suis sequacibus intelligendam esse d. L. in quartam ver: fin. & L. si fundus, tertio loco oppositam.

Si priorem opinionem Accurs. & Ioann. benignio. 16
rem æquabiliorem & receptionem sequaris, nihil obstatunt posteriorum opinionum fundamenta. Nam ad primum secundæ opinionis cyni, satisfacies, respondendo, quod causâ conditionis implendæ accipitur, in Falcidiā non imputari ipso iure, secundum ordinariam iuris imputationem, & communes iuris regulas, id est, ad communem omnium legatariorum utilitatem: Ceterum extra ordienem istud relictum imputabitur, quia fit specialiter ex bono & equo, in fauore dūtaxat eius à quo mutuo accipitur, quod iniquum videatur, vt heres

integrum accipiat, & diuinutum seu mutilatum præstet, aduersus illam rubricam, id est, æquitatis regulam, quod quisque juris, &c.

Ad secundum respondebis, vt sup: in dissolutione vltimæ obiectionis aduersus secundam regulam L. Fauidie circuca finem: puta summo quidem & stricto iure, quod caussa conditionis implendæ accipitur, nulla ex parte imputari, etiam in fauorem dantis, & ita per compensationem & exceptionem. Nos autem loquimur h̄c non de rigido illo iure & regula, quæ secundum Cicer. in 1. offic. summa est iniuria: Sed de æquo & bono. id est, de regula Lesbia, qua summum illud ius moderamētum accipit; habita sc. ratione circumstantiarum, quibus benignè & flexibiliter se accommodat, quò sit vt propter circumstantiam mutuæ præstationis, quæ h̄c inter heredes & legatarios intercedit, locus sit isti imputationi, quæ sit per exceptionē & compensationem, d. L. Nescennius.

Ad tertium Bartoli argumentum occures, secundum eam distinctionem, qua etiam utimur in dissolutione secundi superioris argumenti: istud scilicet relictum non compensari, non computari, etiam in fauorem eius qui dat, quando heres possidet vtrumq;, & legatarius nimia facilitate soluit & præuenit heredem: quia cum heres penes se habens vtrumque, neque agat, neque petat à legatario, legatarius deſtituitur suo beneficio exceptionis & compensationis. Quo fit vt istud relictum uno tantum casu imputetur in fauorem dantis. Verbi gratia, quando legatarius nondum soluit, & vicissim ab eo petitur à se relictum. Habet enim tunc exceptionem, qua opposita, virget heredem ad compensandum, alias non datus. Accursius aliter soluere conatur: istud relictum in hac legi præstari quidem heredi, sed alij quam grauato: quo fit

fit, vt grauatus non imputet, quod non accipit, sed suo iure Falcidiam detrahit de legatis à se præstandis. *d.l.in quartam ver: fin. in verb. legatarijs.* Ego aliter occurrentum 13 censeo: in Potestate heredis esse uti suo iure, id est, Falcidiam detrahere, aut ab eo abstinere, quod vicissim sibi relinquitur, *L. quod autem in f. Ad L. Falc. l filio v. respōdi eod.* Quo casu si heres manult detrahere suam Falcidiam & abstinere siue repudiare quod sibi relinquitur, tunc cessat 19 omnis extraordinaria compensatio. Et hoc sensu loquitur *L. si fundus, ponderando ea verba: Falcidiampeti posse, iuncta l. Quod autem, ponderando verbum: male, eod:* Ex quibus apparet relictum caussa conditionis implendæ tunc imputari, secundum: *L. Nefennius*, quando heres eligit & manult accipere à coherede sibi relictum caussa conditionis implendæ: tunc enim istud accipiendo tacite se subiecit compensationi & simul renunciasse in'elligitur detractioni Falcidiæ: quod iniquum sit & sibi relictum consequi, & suo iure Falcidia vti, id est, non integrè præstare à se relictum *d. L. Nefennius & l. filio.*

Ad fundamētnm tertiae opinionis, id est, ad Bartoli distinctionem occurritur, falsum esse, quod persuasum habet Bartolus; puta exceptionem & æquitatatem ex *L. Nefennius* competentem, tantum dari contra actionem & petitionem heredis agentis & petentis à legatario vel fidicomissario, quod à se sibi relictum est caussa conditionis implendæ, vel alio titulo, quandoquidem ea exceptio æquitatis & remedium eius legis, non solum datur contra petitionem, sed etiam & magis principaliter contra detractionem, & heredem detrahente volentem etiam quā docunque, quod eadem sit æquitas, siue heres possideat vtrumque siue non possideat, & legatum à se relictum, & quod à legatario iam accepit, vt ad oculum colligitur ex

eadem l. Nescennius. in vers. non est audiendus, si desiderat uti Falcidia: quod effectum respicit, non actionis conatum & intentionem duntaxat. Adde, quod Bartoli interpretatio & distinctio plerunque videatur quod diligenter faciat deterioris conditionis & negligentem frustratorem & oscitabundum longè melioris aduersus L. Huius ff. quod vi & L. 2. C. de annali except. Suffragatur etiam nostrae interpretationi æquitas illius tituli

21 Quod quisque iuris in alium statuerit, &c. Cuius verba & sensus non ad conatum & intentionem, sed ad rem ipsam & effectum referuntur, secundum IC. in L. 1. eiusdem tituli. Tertio facit vim Bartolo L. filium, Fam. ericis. vbi filius habens fundum & ita possessor fundi, ad compensandum iudicio nihilominus compulsus est, idque secundum æquitatem L. Nescennius, quemadmodum perspicuum est ex eadem L. in ver: compensato, quod à coheredibus vicemutua accepit.

Ad extremum huic universæ tractationi, id est, *L. Nescennius* cum suis extensionibus, appendicibus, & accessionibus, plurimum aduersatur *L. filium quem C. Fam. ericis.* vbi filius heres detrahit quartam Trebellianicam contra fideicommissarios, & nihilominus præcipuum habet, & supra quartā portiones fūdi prælegati, quas in eo fundo intūcē & mutuo accipiebat, vt appareat ex ver. quod à ceteris in eo fundo soluitur supra quartam habens: finiendo ibi periodum & clausulam.

22 Cuius legis oppositione territus Accurs. statim à limine paraphrasis, re & fama difficilem testatur: immo omnium legum totius iuris difficilima censetur, secundum Balduinum antiquum juris interpretem, vt refert Iason in Commentarijs ad hanc hanc legem, maximè infa-

in facti specie, nec non verborum & textus interpretatione, puta in quatuor locis aut quinque. Primò, in verbo *fundum habentem*, quo titulo fundum filius à parente habuerit: an scilicet profectitij peculij, & in vita; an titulo prælegati, aut alio quovis, & post mortem: an etiam contractu aliquo, vel donationis causa mortis vel simplicis.

Secundò in verbis: *compensato quod à coheredibus accipit*: quid illud sit quod compensatur. Tertiò, si quid in supplementum deest deducto: quando & vnde fiat istud supplementum quadratim. Quartò in versicis à ceteris: an ad præcedentia referatur & clausula terminetur verbo. soluitur; eo sensu vt filius restituat quicquid habet supra quartam habens, vt sensus sit, quod filius habet, quod accipit, & sibi soluitur in præcipuum & supra quartam, ita vt quadrante & isto præcipuo retentis residuum tamē restituatur. Ad quarum tenebrarum elucidationem plures in medium prodierunt huius legis intellectus; ex quibus nullus est qui faciat satis, nullus qui mentem omnino expleat. 23

Primus igitur est vulgo probatus, & omniū receptissimus, quo fundum fruendum filius à patente in vita accepisse & titulo peculij profectitij habuisse dicitur. Cuius tituli coniecturam vulgo capiūt interpretes ex verbali nomine, testator, quo innuitur filium iam tempore testamenti & in vita fundum habuisse. Nam qualitas adiuncta verbo, intelligitur secundū tempus verbi *L. in delictis* §. Si extraneus de nox. actio. In causam peculij, quod titulo prælegati aut alio quolibet post mortem habuisse defendi nequeat; Imò neque alio quolibet in vita celebrato, qualis est donatio causa mortis, donatio simplex, aut

aut similis quemadmodum apparebit ex cōnsūtatione
sequentium intellectuum. Huic coniecturæ suffraga-
tur antiquus ritus, quo parētes solebant filiis fundos fru-
endos concedere, ut seorsim à parentibus habitantibus,
experiretur pater, quid ingenij esset habiturus filius post
mōrtem parentis, secundum Cicer. in Orat. pro S. Roscio A-
mer. vnde in IIII. verrin: de filiis loquens idem ait: quibns
enim viui bona nostra partimur. Vnde apud Terentium
filiij appellantur participes, his verbis: donec saluus re-
dierit meus particeps. Hoc sensu ver: compensato quod à
coheredibus vice in mutua percepit, de reliquo causâ condi-
tionis implendæ vulgo intelligitur. Et rursus ver: Et si
quid deest, eo sensu una coniungitur cum ver: Quod à cete-
ris in eo fundo soluitur, ibi, claudendo periodum, vt tensus sit,
si portio hereditaria fundi & reliquum caussâ conditionis
implendæ non sufficiant ad quartam conficiendam, eam
esse supplendam, & istud supplementum in eo fundo pe-
culiari fieri: quo sensu istud relativum, quod resert, supple-
mentum; quod scilicet supplementum. Vnde etiam
constat hæc verba: supra quartam habens: ad ultimam legis
clausulam pertinere, vt videatur respōsum & rescriptū ab
Imperatore: Filium habentem fundum, portionem he-
reditatis sive coheredibus restituere oneratum, primo in
quartam Trebellianicam imputaturum portionem he-
reditariam quam habet in fundo peculiari: Secundo
compensaturum quod accepit coheredibus caussâ condi-
tionis implendæ: Tertio, quod deest ad quartam inte-
grandem & conficiendam, supplendum esse ex eo fundo
peculiari: Postremò, restituturum quièquid habet supra
quartam siue in eo fundo, siue in alia qualibet hereditatis
parte. Huius legis istam facti speciem atque intellectum
scriptum reliquit Accurs. ubi extensionem videbis. Ab
hoc

hoc tamen intellectu communi auctores sequentium re-
cesserunt, primū adducti L. certum C. Fam. ercis. l. filia licet,
C. de collat: vbi in peculio profectio nihil habet filius præ-
cipuum, nullum priuilegium, sed ex æquo instar rerum
hereditariarū, mortuo parēte, inter omnes liberos diuidi-
tur. Ergo in isto fundo peculiari non magis debetur quar-
ta filio, quam in ceteris rebus, imò istud peculum, perin-
de continetur in restitutione fideicommissi, atque res a-
lix hereditarię, vt non magis ex fundo peculiari retentio-
nem quartę habeat, quam ex ceteris rebus. Secundò
ijdem adducuntur l. in quantitate §. fin. L. Plautius L. linea
Ad L. Falc. 2. C. eod. vbi quarta Falcidia & Trebellianica
nō in communi re, sed ex singulis pro rata cōficitur. Ergo
in hac quoq; lege confici quarta debuit filio, nō in fundo
peculiari tantum, sed alijs quoque rebus pro rata, secun-
dum Accursium has obiectiones referētem in d. L. filium
in v. here ditaria & verb percepit Ambabus hisce obiectio-
nibus ex mēte Bartoli occursum est post eandem gl. in ver-
bo percepit: In fundo quidem peculiari filium nihil ha-
bere priuilegij nihil præcipui, neque ipso iure quartam
magis deberi filio in peculiari fundo, quam in ceteris re-
bus portionis suę hereditarię, secundum præfata iura;
sed specialiter ex bono & ex æquo secundum præsumptam
parentis defuncti voluntatem, in hac facti specie quar-
tam in eadem re aut maxima ex parte officio iudicis con-
fici; tum, vt iudex vestigia parentis sequatur, qui filium
prædilexit in fundo eum sibi in vita fruendum dāndo,
vnde congruum est, vt iudex quoque in iudicio familię
erciscundæ, filium prædiligat, quartam in eo fundo cōfi-
ciendo & adjudicando arg. L. pen. de alim. & cib. leg. tum,
quia perdurum esset, vt suos labores filius in fundo exhi-
bitos in alium translatos videret L. fin. C. de aliuion. & pa-

lud. Tum denique quia molestum esset filio fundum quem diutius tractauit & coluit sibi omnino eripi *arg. l. possessionum C. Com. utri. ind.* Ex quo intellectu hoc singulare colligitur, quartam alioquin ex rebus singulis conficiendam in una & eadem re ex caussa officio iudicis confici posse. Caussam autem hic fuisse, præsumptam parentis defuncti voluntatem, ex his quæ diximus colligitur. *L. cum primum §. Euictis de leg. 2. L. cogitandum est C. Fam. eresc. L. si seruus plurium §. fin. de leg. 1. L. pen. de alim. leg. iuncta L. voluntatis defuncti quæstio C. de fideicommissis.* Porro, quia in Falcidiam & Trebellianicam ea tantum imputantur, quæ iudicio defuncti capit heres *d. L. in quartam*, posteri alios plures commenti sunt intellectus.

Alter ergo Ioannis est, quo filius titulo prælegati fundum habuisse dicitur, & grauatis non solum de restituenda portione hereditatis fratribus & quibusdam alijs, sed & de restituendo prælegato alijs extraneis, cum quibus siebat hereditatis restitutio, idque aliquo accepto etiam ab ipsis, caussa conditionis implenda. Quo sensu id quod deest in supplemento, soluitur ab istis ceteris fideicommissariis fundi prælegati in eo fundo *L. pro eo fundo secundum Ioannem* ut idem Accurs. refert in ver. hereditaria & verb. percepit. Sed ab isto intellectu vulgus scribentium recessit, tum, quia diuinatorius est, configendo fideicommissa; tum etiam quod literam varie torquet, ut cum ea pugnare videatur *secundum Accurs. ibid.*

Tertius est Azonis & Hugolini, quo filius dicitur habuisse fundum in vita quidem testatoris, sed titulo donationis

tionis causa mortis, aut simplicis quidem, quæ morte confirmatur, ut refert *idem Accurs. in verb. hereditaria & verb. percepit.* Quo sensu intelligitur *vers.* & si quid deficit in *supplementum*, suppleri quidem oportere, sed deducto quod à ceteris soluitur in eo fundo, hoc est, computata portione hereditaria, ut prius canum fuerat. Ab isto quoque intellectu ijdem recesserunt, maximè ad ducti *L. sequens quaestio de leg. 2.* Vbi quod extra causam testamenti capit, non cadit in fidecommisum, & eius restitutionem. *Adducti etiam L. pater filium ad L. Falc.* Vbi quod heres extra testamentū capit, habiturusq; testamento, non imputatur in Falcidiā aut Trebellianicā, ergo donatio causa mortis non imputabitur, quia extra testamentum & sine testamento debetur. *L. post legatum s. § penultim: de his quibus ut indign.*

~~et~~

Quartus est Politi, quo filius dicitur habuisse fundum titulo quidem prælegati, sed per verba retentionis, deductionis, ut videatur rogatus restituere hereditatem, retento non deducto fundo. Quo sensu nouè interpretatur ver. quod à ceteris; nimirum ut quod soluitur in fundo à coheredibus, in prælegato fundo, habeat præcipuum, & supra quartam. Neque sibi obstare *L. Nescennius*, quæ iubet harum partium compensationem fieri oportere; quod ea *L.* sit intelligenda, quando heres accipit prælegatum à coherede, non etiam quando heres accipit à se ipso, hoc est, sui ipsius facto & opera, puta iussus retinere aut deducere.

Quamobrem, cum ipse possideat prælegatum, sua veluti manu acceptum, & ideo petere non indigeat; ut

præhabitum, non posset esse locus exceptioni & compensationi *L. Nescennius*, quod datur aduersus petentem, secundum intellectum Bartoli, de quo paulo ante diximus. Ab isto intellectu recessit Alciat: *cap. 6, lib. 6. parad.* idque tribus adductus rationibus, quas ibi ad oculum videbis.

Quintus ergo intellectus est Alciati in eo *cap. Filium* titulo quidem prælegati habuisse fundum, & portiones prælegati, quas accepit à coheredibus habere præcipuas, vt Politus etiam voluit, sed prælegatum istud fuisse relatum per legatum, & verba vindicationis, verbi gratia: *Fili mi habe, accipe, præsumne tibi fundum, secundum v. sed olim §. 1. de legatis.* Præcipuum autem putat idem Alciatus, filium habiturum portiones coheredum in fundo prælegato, quod sua manu & à se ipso haberet fundum prælegatum, & sic possessor factus non egeat petitione & actione, quæ parit exceptionem & beneficiū *L. Nescen.* secundum distinctionem Bartoli supra dictam. Sed hunc & intellectum Politi non sustinet ratio, qua distinctionē illam Bartoli sup. confutauimus, puta remedium eius *L. Nescennius* non solum dari contra actionem & petitionē contra agentem & petentem, sed & contra possessorem & iam habentem, etiam à seipso vel à coherede diligenter, si quicquam detrahere cupit heres de legato, contra detractorem & detrahere volentem opponetur & excipietur beneficium *d. L. Nescennius.*

At vero quia cum superioribus intellectibus plurimū pugnare videtur, quod relatum causa conditionis impletandæ, de quo intelligitur *ver. compensatio* de iure communi imputetur in quartam Trebellianicam *L. in quartam §. Sed & quod Ad L. Falc.* & non compensetur, quia compensare est ex æquo & bono extra ordinem & communis iuris regulas imputare. Pugnare etiam videtur

cum

cum ijsdem intellectibus v. quod à ceteris, quem etiam intelligūt omnes superiores de coheredibus, quorum prius idem Imperator propriè & vere significare videatur: Arnaldus Fernerius nuperrimè huius Academię Pofessor celeberrimus, alium nouum & literaz conuenientissimū confinxit intellectum; quo titulo quidem prælegati filius fundum dicitur habuisse sine tamen verborum aliquo delectu, vt Alciato & Polito visum fuerat; cuius prælegati portionem hereditariā imputat filius, videlicet post cōditionē euentum, idque secundum regulā L. *in quartam*; portiones vero eiusdem prælegati, quas accipit à coheredibus, partim imputat, partim compensat: puta portiones, quas accipit à coheredibus fideicommissarijs, hoc est, quibus erat iussus suas portiones hereditatis restituere, ver: compensato, idque ex præscripto L. *Nesennius*, propter mutuam hinc inde præstationem: partim vero præcipuum habet, puta portiones quas accepit à coheredibus non fideicommissarijs, hoc est, quibus non erat vicissim iussus restituere suam portionem sicut superioribus, ver: Quod à ceteris, hic ergo præcipuas habet, quia istis heres nihil restituebat, vnde cum cesset mutua præstatio, cessat compensatio, ideo præcipuashabet istorum coherendum portiones d. *in quartam v. pro ea vero part.* Huius ergo intellectus facti species in hūc modum effingi potest. Testator pater septē heredes instituit, puta tres filios, primum, secundum, tertium, vt colligitur ex verb. filium & verb. fratribus, & quatuor extraneos, quartum, quintum, sextum & septimum. De duobus constat ex verb: & quibus dā alijs, de alijs vero duobus ex verbis, quod à ceteris, primo fundū prælegauit; quod colligitur ex verbo habentem fundum *iuncta l. in quartam v. pro ea vero parte. L. miles §. fin. de leg. 7.* cumque rogauit sub aliqua conditio-

ne, ut portionem hereditatis suæ restitueret fratribus, hoc est, secundo & tertio & alijs quibusdam, hoc est, quarto & quinto. Sextum ergo & septimum omisit, hoc est, non iussit illis portionem hereditatis restituere. Existente conditione, cum esset orta quæstio, de ineunda ratione Trebellianicæ, quæsitum est, an fundus ille prælegatus imputetur & compensetur. Huic quæstioni respondet Imperator: in hoc fundo tres portiones esse spectandas, vna est hereditaria, quam accipit primus tanquam heres & iure hereditario, & eam imputat. ver. post conditionis euentum

Altera est portio prælegati, quam idem primus heres accipit iure legati à secundo, tertio, quarto, quinto, ut coheredibus suis, quibus fuerat iussus restituere portionem hereditatis, & ita compensat in quartam Trebellianicam d. verb. compensato, propter mutuā præstationem, secundū L. Nesen. Tertia & ultima portio eiusdem prælegati est ea, quam accipit à sexto & septimo coheredibus, quibus, ut diximus, nihil erat iussus dare. Qua ratione istam portionem habet præcipuam & supra quartam, quo dicitur cestet mutua ista præstatio & ita æquitas L. Nefennius 4, vers. quod à ceteris claudendo periodum post ver. supra quartam. Quod si post illam portionem imputatam & aliam compensatam aliquid deest Falcidiæ, id, ex reliqua portione hereditatis restituenda, deducendum & suppletendum est, ut tantum cogatur filius residuum restituere, hoc est, quod habet supra quartam & supra portiones præciplias.

In summa horum omnium intellectum primus est receptissimus & utilissimus, quo Iudex præcepto quoddam singulari instruitur in vna eademque quartam cōficere posse ex caussa. Huic tamen intellectui scrupulum facit

quod

quod relictum caussa conditionis implendæ, quo de ver. compensato secundum istum intellectum intelligitur, in quartam iure communi imputatur, d. L. in quartam ver. sed & quod implendæ, ergo non compensatur, aduersus istum intellectum. Nam ut mox diximus, compensare est ex æquo & bono extra ordinem & contra communes iuris regulas imputare. L. Heredi qui falsos, de his quib. vt indig. Nisi occurras & scrupulum adimas. Imperatorem usum fuisse isto verbo propterea quod ius & æquitas simul concurrunt in casu eius vts. Ius, quo relictum causa conditionis iubetur imputari: & æquitas, qua mutua præstatio compensationem facit, Fuit enim heres qui relictum causæ conditionis implendæ accipit, vicissim dare iussus portionem hereditatis coheredibus à quibus accipiebat. Ultimus vero intellectus literæ cōuenientissimus est. Cui tamen scrupulam injicit, quod secundum eum rescriptum Imperatoris videatur carere respōso, puta, quantum restituendum sit. Nam secundum istum intellectum, particula supra quartam habēs, respicit præcedentia, adeò vt verbum reddere compellitur, quod in calce legis est, nudum sit & sine opposito: nisi dixeris responsum ad principium legis referendum esse, hoc est, finem cum principio coniungendum, vt filius videatur compelli restituere portiones hereditatis retento quadrantæ ex iure præcipuo quod habet in fundo prælegato, secundum superiorem distinctionem coherendum.

Hactenus de Trebellianica & Falcidia,

superest legitimæ tractatus

posthac discuti-

endus.

DE LEGITIMA IN GENERE.

Synopsis.

1. Legitima aliter definitur lege naturæ, aliter lege ciuili positiva.
2. Illa est totius substantia portio, vel tota parentum successio, filii iure naturæ debita.
3. Hac bonorum portio, quæ debetur ab intestato succendentibus pro modo & quantitate definita.
4. Verum qua lege legitima quantitas sit definita, incertum est.
5. Licet certum, quod beneficio Iustiniani legitima adiecta sit, ita ut si quatuor sint filii vel pauciores triens, si plures semis eius praefetur.
6. Et non tantum si sint filii, verum etiam si nepotes.
7. Quid? Estne parentum quoq; legitima aucta quoad tridentem?
8. Ita puto, tribus de causis.
9. Convarium tamen obtinet in fratribus legitima ob totidem rationes.

Ad tractatum legitimæ.

DE legitima tractaturi in primis huc referendū est quod initio tractatus præfati sumus: eam diuersis titulis & nominibus, causa vbiique adiecta designari. Frequentiore tamen nomine vulgo legitima appellatur ista quarta naturæ, de duabus ibidem adscriptis rationibus. Quæ vt superioribus, quæ desunt, ordine subijciamus: aliter definitur lege naturæ, aliter lege ciuili positiva. Illa enim nihil aliud est quam totus as, quam tota parentum successio, filii iure naturæ debita, L. 1. de port. que fil. dam. C. Ius naturale, iuncta gl. in verb. liberum successio distinct. 1. L. 1. de impon. lucrat. descript. lib. X. C. L. Scimus §. Illud C. de in off. ab hac tamen

tamen legis naturæ definitione recessum, est quod iniqua
visa est legi ciuili & eius latoribus, propter aliam legis na-
turæ æquitatem & regulam superiori repugnantem, qua
ingenuis hominibus iniquum etiam est liberam rerum
suarum dispositionem auferre L. 2. Si quis à parent. L. iure,
C. mandati §. per traditionem de rer. diuis.. Quamobrem sic
pugnantes naturæ leges legislator conciliauit, & modum
disponendi talem præscripsit, qui ambabus sufficeret na-
turæ regulis, vt liceat parentibus relicta quarta bonorum
liberis, reliquas partes pro arbitrio in quemuis trāsferre §.
1. de hered. & Falc. in Auth. Lege ergo ciuili legitima de-
finitur quarta tantum portio bonorum non tota succeſ-
sio. ut d. §. 1. Sed cui legi adscribatur modus iste positus
quæsitum est. Alijs censemib⁹ legi Falcidiae adscribi o-
portere, quod quarta ista naturæ Falcidia interdum ap-
pellatur L. Papinianus §. quarta §. meminisse de in off L. qua
nuper C. cod. L. Quisquis §. ad filias C. ad L. Iul. maiest. Auth.
unde & si parentiuncta gl. C. d⁹ in offic. Alijs contra eam
accepto ferentibus cuidam legi, quam Gliciam vocant
quod in libris florentinis legis 4. ff. de inffo. test. inscriptio
ita reperiatur: Gaius ad L. Gliciam Nobis tamen verius
videtur legem, quæ modum posuit & quartam definiuit,
incertam esse, nec toto iure apparere, quænam ea fuerit.
Portio ergo naturæ iure ciuili quadrans definitur, idque
olim L. Papinianus §. quoniam autem quarta & tot. tit. de
inoffic. §. 1. de Triente & sem. Nam hodie in tricentem &
semissem pro numero libeorum, Iustiniani beneficio ea
legitima aucta est §. 1. de tr. & sem. Auth. nouissima C. de inoff.
Sed an omnium indistincte aucta sit? Filiorum incremē-
tum accepisse extra controuersiam est §. 1. de triente Auth.
nouissima C. de in offi. Vbi Iustinianus de filiis nominatim
loquitur,

6 Imò nepotum eadem ratio, d. §. i. vers. sed obserua^{do}, iuncta gl. in cod. vers. L. liberorū de verb. sig. De parentū
 7 portione altercatio est, sed tandem frequētius est receptū, eorum legitimam perinde auctam esse, propter parem
 8 pietatis rationem L. Nam et si parentibus de in off. & quod oporteat filios eadem mensura metiri, & compensare suc-
 cessionem quam accipiūt à parentibus §. pen. iuncta gl. in
 verb. compensant. quibus. modis natur. in Auth. vel ideo ma-
 ximè, quod de parentum incremento expressa lege idem
 cautum sit d. §. i. vers. id est, hoc obseruando detr. & sem.
 iuncta gl. in d. vers. Hoc obseruando iuncto §. i. de in off.
 instit.

9 Defratrum quoque legitima inter omnes conuenit, auctam non esse, sed & hodie quadrantem esse yt olim, *Not*
 secundum Accurs. & ceteros interpretes in d. Auth. in nouissima
 in verb. titulo tum quia de isto incremento nulla lex lata
 appetet. Vnde succedit regula. Quod non mutatur, cur
 stare prohibetur. L. Sancimus de testam. tum etiam quia
 non eadem est ratio. Maiore enim voto & pietate liberis
 & parentibus debetur successio quam fratribus. Adde,
 quod expresse ab eo incremento videātur exclusi d. §. i. v.
Hoc obseruando- à contrario sensu, ponderando verb. ab ini-
 tio, iuncto §. i. in verb. principalibus confitionibus,
 quasi posterioribus apud Iustinianum de
 in off. test.



DE TRIENTE ET SEMISSE
EIVSQUE COMPVTATIONE.

Synopsis.

1. Triens & semis duobus modis accipiuntur.
2. Fratrum concursus minuit parentibus legitimam, ex sententia Bartoli.
3. Etsi ex aliorum mente, fratrum non sit habenda ratio in computatione quarta.
4. Legitima supputatio per obscuram.
5. Declaratur igitur exemplis.
6. Vulgo D d. legitimam bonorum quotam esse dicunt.
7. Ratio.
8. Non hereditatis.
9. Ratio.
10. πόρισμα. Ergo filius cui debetur legitima pro oneribus hereditariis & are alieno a creditoribus hereditariis nulla actione personali, num. 12. conueniri potest.
11. Diluuntur obiecta.
12. In legitima computatione mortis tempus inservientum.
13. Pater etiam iniurias liberos suos cogitur atere, num. 21.
14. Corollaria quadam ponuntur, id est, Aucta patris adhuc viuentis post legitima designationem, hereditate, augetur & legitima.
15. Alterum, prius quam morientibus legitima non debetur.
16. Tertium, filius patrem ut legitimam soluat non urgebit.
17. Negat si filius ob delictum dolomalo commissum, carcerum vinculis constringatur.
18. Nisi lex municipalis patrem ob legitima solutionem pro delicto a filio patrato compellat.
19. Quae tamen iniquissima censemur,
20. Dotem tamen filia confinere pater cogitur.
21. Quartum, auctis facultatibus post mortem, &c.

25. Bonum est argumentum à legitima patroni, ad filii legitimā.
 24. Conditione ex L. omnimodo C. de inoffit. testament. agitur
 ad supplementum legitima.

Dicitur autem triens aut semis duplicitate, Primo respectu omnium bonorum & omnium liberorum simul, hoc est, tertia & dimidia totius substantiae defuncti inter liberos æquiter diuidenda §. fin. de inoff. Inst. §. de triente & sem. d. Auht. nouissima. Secundò, respectu portionis cuiusq; ab intestato, hoc est, tertia vel dimidia cuiusvis portionis, quā quilibet filiorum est habiturus ab intestato L. Parentibus C. de inoff. L. Papinianus §. si quis mortis, de inoff. Hic admonendi sumus, has duas supputationes verbis quidem differre sed re & effectu omnino congruere & conuenire, uno casu tantum excepto, quando illi soli, quibus debetur legitima non sucedunt ab intestato, sed eius successionis socios habent, quibus tamen non debetur legitima, verbi gratia: Filius habens patrem & matrem superstites nec non fratres duos, honesta persona instituta, fratribus præteritis, & aliquo reliquo parentibus, quod est minus legitima, decessit: Quæsitum est quomodo conficiemus & supplebimus parentibus legitimam, an priore modo, respectu totius substantiae, quo habituri sunt quatuor vñcias, & ita duas singuli, an posteriori respectu portionis cui usque ab intestato, quo habituri sunt singuli tres vñcias, computatis fratribus, Auht. defuncto C. ad Terrillianum. Et ita pro sua legitima tertiam partem istarum trium vñciarum, hoc est, vnicam. Multum ergo refert, an priori an posteriori modo suppleatur, & cōficiatur isto causa quarta. In hac tamen quæstione Bartoli sententia est in L. pater filium de in off. quartam conficiendam & splendam

plendam esse parentibus, secundo modo, hoc est, respe-
 & tu portiones ab intestato: ita ut fratrum concursus mi-²
 nuat eis legitimā, quamuis sibi nō profint fratres. Butri-
 garius tamen, cuius opinio praeualuit, cōtra censet, prio-
 re modo conficiendam & supplendam, quod fratribus ³
 isto casu non debeatur legitima, ideo eorum ratio in
 quartæ confectione non est habenda. Cuius opinonis
 fundamenta videbis apud Alexandrum L. planè §. duobus
 de legi.

Porrò, quia ista legum supputatio perplexa & sub ob-⁴
 scura præsertim Tyronibus, adeò vt sacculo calculorum
 & fabarum indigeat, ego præter alios ita censeo legitimā
 colligendam, & decernendam, nimirum ex numero li-⁵
 berorum & aliorum quibus debetur legitima, duplicato
 aut triplicato. Legitima ergo est vna portio ex numero
 quem faciunt liberi ter aut bis sumpti & repetiti. Vnde
 interrogatus à Clientulo, quæ sua sit legitima; prima frō-
 te ab eo sciscitaberis, quot liberos pater tempore mortis
 reliquerit: si vnum reliquisse respondeat, facilius apud te
 triplicabis istum vnum, & hinc efficies tres. Vnde re-
 spondebis tertiam partem bonorum patris suam esse legi-
 mam. Si vero responderit patrem duos reliquisse, tum
 facilius triplicabis duos, & inde efficies sex, vnde respon-
 debis sextam partem omnium bonorum, siue vnum ex
 sex portionibus, suam esse legitimam. Si autem respon-
 derit, tres reliquisse; tunc quoque eos triplicabis, & hinc
 efficies nouem, vnde respondebis nonam partam bo-
 norum suam esse legitimam. Si denique responderit
 quatuor, tum eodem exemplo triplicabis & efficies duo-
 decim, vnde respondebis legitimam istius consulentis, &
 suorum etiam fratrum singulorum, vnam ex duodecim
 esse portionem. At vero si respondeat quinque liberos

patrem reliquise hoc casu duplicabis istum numerum, & efficies, decem, vnde respondebis legitimam esse decimā, siue vnam ex decem portionibus. Si sex responderit, duplicabis quoque numerum & efficies duodecim, vnde respōdebis legitimam suam esse duodecimam partem, siue vnam ex duodecim, Si septem aut supra, perinde duplicabis, & legitimam decernes vnam portionem ex eo numero. Triplicamus vero liberorum numerum, quando quatuor sunt aut pauciores, quia illis triens debetur, vnde quot sunt filij, tot tertias facimus, pro eorum multiplicatione, ex quibus totum cōflatitur patrimonium, cuius singuli singulas tertias, siue trientes accipiūt. Duplicamus vero numerum liberorum, quando quinq; sunt, aut plures, quia semis portionis ab intestato istis debetur, vnde quod sunt filij tot duplicamus semisses, ut singuli suum accipient, & tantundem, hoc est, alium semissēm relinquant heredi. A Iustiniano nostra supputatio eō tantum differt, quod ille patrimonium defuncti semper definiat assē, quem in duodecim vncias distribuit, ex quibus quatuor & sex faciat legitimam pro numero liberorum: Nos contra patrimonium & assēm definimus pro numero liberorum, cuius etiam partes facimus pro corundem numero; puta, si vnum sit, patrimonium constat tribus partibus, cuius tertia est legitima, idem de ceteris, multiplicatione facta secundum numerum filiorum.

Ceterum huic incremento Iustiniani, trientis scilicet & semissēs, aduersatur quod tantundem consequatur vnuus, quantum duo, tres, aut quatuor, & rursus tantundem quinque quantum sex, decem, viginti, aut supra, ergo istud incrementum Iustinani iniquum est, & sine

sine ista proportione. Obiectioni satisfacies, si dixeris iniquitatem & proportionem non esse petendam & aestimandam pro numero liberorum, sed pro damno quo filii afficiuntur, propter testamentum & dispositionem patris. Nimiriū quando pauciores sunt filii, tanto magis damnum infertur. Verbi gratia, si unus est filius, ista successio patris sibi debetur iure naturae, quo fit, ut pater testando & libere disponendo de besse & ita diminuendo ius debitum filio, maiore iniuria & damno cum afficiat.

Quamobrem æquum est, ut potior quoque sua sit legitima. Sed obstat replica. Quod quinque maius damnum patientur quam sex aut plures: & tamen maius emolumentum & potiores portiones non consequantur. Huic satisfacies, inæqualitatem hic tolerari, quod inter trientem & semissim nullus sic aliis medius numerus, quo secundum proportionem & commodius eis legitima assignari possit, vnde istud vitium est magis naturæ, quam legis & legislatoris argument. L. 1. de legitim. tut.

Sed an bonorum an hereditatis portio legitima sit? 6
Vulgo placuit bonorum quotam esse L. cum queritur C:
de inoffic. & ideo non prius à legimario filio exigitur, quam
æs alienum deductum sit L. Papinianus §. de inoff. Si ergo
defunctus patrimonium reliquit mille aureorum,
debitor autem erat quingentorum, de reliquis tantum
quingentis debetur legitima.

In summa bonorum quota est quæ dicitur deducto 7.8
ære alieno L. subsignum §. Bona de verbor. sig. L. Mulier
de iure not. non hereditatis L. 2. Fam. ercisc. quæ possel-
lorem æris alieni & omnium onerū hereditariorum reū
facit,

facit, *L. si hereditatem mandati L. facto successorum C. de partis L. fin. C. de heredit. act. etiam supra vires hereditatis L. more, de acquir: hered. L. Si te bonus C. de iure de liber. nisi hodie heres inuentarium fecerit L. fin. §. fin autem C. de iure deliberandi §. pen. de her. qual. & differ. Legitimarius ergo filius quia bonorum non hereditatis portionem habet, pro oneribus hereditarijs & ære alieno, ab hereditarijs creditoribus conueniri non potest, cum horum tantum reus sit heres vniuersalis L. quoties de hered. instit. d. L. fin. de hered. act. Nec obstat §. Hereditas, de heredibus instit. L. scimus §. fin. ff. eod. ubi triens & semis appellationes & nomina sunt portionū hereditatis. Ergo & triens & semis legitimæ §. 1. de tr. & sem. Nam nomina quidem sunt hereditatis portiones, sed non solius; quandoquidem & bonorum & trientes & semisses recte dicuntur *L. ex facto 2. §. 1. vers. fundorum alterum quidem facere dodrantem bonorum, alterum quadrantem, de hered. instit.* Minus obstat, quod hodie legitima titulo institutionis & hereditario relinquuntur, §. aliud quoq. capitulum, ut cum de appell. cog. in Auht. Ergo legitima semper est portio hereditatis, quæ necessario relinquitur. Nam quoad ea quæ respiciunt rem & legitimam ipsam, bonorum portio censemur legitima, adeò ut filius in ea institutus heres, non teneatur oneribus hereditarijs, sed loco legatarij habeatur *d. L. Papinian. §. quarta, secundū Bar. in d. L. quoties C. de hered.* Quo ad ea vero quæ extrinseca sunt, & extrinsecus veniūt, hereditatis portio censemur; & legitimarius iste filius eattenuis heres particularis, puta quoad titulum honorabiliorēm *L. filium §. sed & secund. portio de leg. præst. §. Ceterū verb. honorabili, ut cum de Appell. quo ad ius accrescendi & alios plures effectus, quos Bart. & Iason coniecerunt in d. L. quoties. Quo sit ut sic hęc portio, quę datur, tertia species esse**

esse videatur mixta, partim, ex iure hereditario, & partim ex iure bonorum secundum d. Bart. in d. L. quoties. Hic obiter obseruandum est, quod diximus, legitimariū nulla actione hereditaria teneri, de personali intelligentia esse; nam reali, id est. Rei vindicatione à domino regre conuenit, quamvis de euictione aduersus heredem sibi consultum sit. *L. Scimus de inoff.* nec non Hypothecaria, quæ in rem quoque est *L. pignori depignor. act. L. 2.* *C. de heredit. act. L. 2.* § *Ex his de verb. oblig.* *Discusso* ramen principali herede & ita in subsidium. *Auth. Hoc ita si debitor C. depig. & hypoth.* Nulla enim legitima esse potest si æs alienum absorbeat hereditatem *L.* Si uniuersæ *C. de leg.* maximè quod legitima sit bonorum defunctorum, non alienorum quota *d. L. cum queritur.*

Rursus reuocatur in dubium, quorum bonorum ratio habenda: an eorum quæ defunctus habuit tempore mortis etiam in vita, an ex interuallo post mortem? Receptius est, legitimam ad tempus mortis, & bona quæ fuerunt defuncti referendam esse, *d. L. cum queritur arg: L. in quantitate ad L. Fal. §. Quantitas de L. Falc. Instit. L. etiā §. fin. L. si patronus §. fin. de bon. liber.* Quod legitima sit instituta post mortem, ut *ce dat loco alimentorum*, quæ pater mortuus præbere non potest filiis superstribus *L. quisquis §. ad filias C. ad L. Iul. maiestatis § 1.. vers. donec patres vixerunt idonei, de tr. & sem.* Post mortem, inquam, non in vita, quia quamdiu pater viuit, satis consultum est liberis officio iudicis, quo pater ad eos alendos etiam inuitus cogitur, *L. si quis à liberis de lib. agnosc. tot. tit. de alend. liberis C.* Vnde deciditur, si pater dum viuit, aliquid filio pro legitima prærogavit, & eius facultates postea augeantur, ut à patre acceptum minus longè sit legitima licere filiis agere ad supplementum etiam si filius aut filia

renūciarit successioni, aut querelæ in off. test. L. *Siquando*
 §. illud, iuncta, doctrina Iasonis C. de in off. Excepto casu C.
Quamvis pactum de pactis in 6. De quo nos latius sup. in L. pa-
cetum quod dotali C. de pact. & in idem C. Quamvis pactum.

- Secundò deciditur, filijs prius præmorientibus legitime
 16 non deberi, cum debita intelligatur sub conditio-
 ne, si filius superstes sit tempore mortis patris d. L. cum
 quaritur C. de in off. iuncta L. Si cum heres morietur. Quan-
 do dies fideicomis. cedat L. dies incertus de condit. & demonst.
 Quo fit, ut ad heredes legitimam nō transmittat præmor-
 tuus filius, quia dies neque venit, neque cessit, præfatis iu-
 ribus, iuncta L. cedere diem de verb. sig. L. I. §. cum igitur [§].
 Sin autem. de Cad. toll.

Tertio deciditur: à patre adhuc viuo legitimam exigi
 non posse, hoc est, ab inuito extorqueri L. I. §. *Si impubere*
de collat. bon. etiam prodigo secundum ius in Auth. nouissima,
 quod filius nullum ius, præsens & purum scilicet in bonis
 patris habeat. L. fin. de lib. agnos. Qua ratione nihil obsta-
 bit L. in suis. de lib. & post §. Sui, de heredum qualit. & differ.
 Vbi filius fictum intellecuale & quasi certum & speratum
 dominium habere dicitur.

- 17 Adde neque pro mulcta & poena delicti quod admi-
 fit filius nihilomagis peti posse, vt liberetur, secundum
 18 Bart. in d. L. I. §. *Si impubes. De coll. bon. nisi fortè statuto aut*
consuetudine aliter caueatur, secundum Iasonem in d. Auth.
 19 *nouissima arg. c. 2. de delictis puer tametsi Baldus hoc Statuti*
genus iniquissimum esse censeat, arg. L. 3. C. de bonis pro-
scrip. iuncta L. I. & tot. tit. Ne filius pro patre L. Sanctio legum
de panis. Sponte tamen potest pater prærogare legitimam,
si videbitur pro arbitrio, L. Si quando §. & generaliter C. de
in offic. L. Si non mortis ff. eod. Quo sensu illud accipendum
est

est in Euangeliō D. Lucæ, da mihi partem, quæ me contingit.

Dotem tamen cogitur pater filiæ constituere, quamuis 20
post mortem loco legitimæ cedat L. *Qui liberos de ritu nuptiar. l. fin. de dote prom. C. iuncta L. Quoniam nouella C. de inoff.* quemadmodum & alimenta præbere, & sugerere filiis inopibus & indigentibus. L. *Si quis à liberis de liberis agnosc.*

Quarto hinc etiam deducitur, auctis facultatibus post 21
mortem etiam ex caussa quæ initium habuit in vita eorum, legitimam filiorum augendam non esse, arg. L. *Si patronum §. fin. de bonis lib.* Vbi legitima patroni non au23
getur incremento bonorum liberti post eius mortem cōtingente, ergo neque filiorum, quia bonum est argumentum à legitima patroni ad filij legitimam & vice versa: idq;
odio quarelæ in officiis Testamenti, quæ olim filio dabatur si minus legitima fuerat sibi à patre relictum, vnde totum subuertebatur testamentum L. *Papinianus §. Si quis mortis §. Quoniam iuncto §. fin. de inoffic.* L. *cum queritur L. parentibus C. eod.* Qua ratione legislator adductus negauit augmentum legitimæ, ne hac via patefacta daretur caussa subuertendi testamentum, d. L. *si patronum §. fin. De bonis libert. ponderando ea verba: Patronus queri non potest.* AEquum ergo fuit ut patronus & filius hanc patientur iniuriam in isto incremento; ne, quod lex absurdius censuit, eueniat, hoc est, ne quæla subiçiat testamentum, & per eam subuertatur.

Nihil enim imputari potest parentibus, quando legitimam integrum reliquerunt filijs, habito respectu ad bona quibus fruebantur tempore mortis; futuros enim casus & euentus incrementi præuidere

K 2. non

non potuerunt, & ita nihil deliquerunt, quod habito respectu futurorum non auxerunt. Vnde cessat iusta quætela. Qua ratione obstat *L. Serui ad leg. Falc.* ubi seruus ab hostibus reuersus, auget patrimonium etiam in fauorem legatariorum, à quibus minus detrahitur, quod seruus iste imputetur in Falcidiam, nec heres cum habeat præcipuum. Nam in d. *L. serui* cessat quætela & ratio quærelæ quæ impedit legitimam augeri, *d. L. Si patronum §. fin. in verb. Patronus quare non potest.* & ideo *IC. in d. L. serui* perpendit hæc verba, quod ad Falcidiam attinet,

24 innuens secus esse, in legitimæ tractatu. Sed cum hodie cessit quætela, & agatur ad supplementum legitimæ, quo-
ties minus relinquitur per conditionem *L. omnimodo C. de inoff.* in dubium reuocatur, an saltem hodie auctis post mortem facultatibus, augeatur quoque legitima. Salicetus putat non augeri in d. *L. scimus C. de inoff.* quamuis superior ratio cesseret, propterea quod voluntas testatoris adhuc refragatur. Ego vero contra existimo, aucto patri-
Nota monio post mortem ex caussa, quæ habuit originem in vita defuncti, qualia sunt exempla in d. *Sipatrenum §. fin.* legitimam quoque augeri, maxime quod hodie cesseret ra-
tio, quæ olim impediens istud incrementum, ut mox diximus. Fateor tamen, quod augmentum procedens ex industria, facto & opera heredis, non auget legitimam filiorum, *L. Si defunctus C. arbit. tut. L. fin. de alimentis.* Quemadmodum neque augebit legitimam, si incremen-
tum successerit, postquam filius in alijs rebus accepit legi-
timam, & eis fuit contentus, *L. Signando §.* & generali-
ter *C. de inoff.*

Quinto deciditur, de rebus in vita titulo venditionis aut alio quolibet oneroso à patre distractis, legitimam non deberi, neq; in eas patrimonio computari, ut maio-
rem por-

rem portionem filius consequatur, secundum Bart. in L. Hereditariarum, de bonis auct. iud. poss. & Bald. in L. Papinianus §. Quarta de inoff. quibus suffragatur Iason in Auh. unde & parens n. 3. Tum, quia in bonis superstitis patris nullum habet ius filius; quo circa alienatio de re legitima non videtur facta L. fin. de lib. agnosc. Tum etiam quia legitima debetur deducto a realieno d. §. quarta in L. Papinianus.

CAPUT X.

CASVS IN QVIBVS LEGITIMÆ computatio, non fit habito respectu ad bona, quæ defunctus tempore mortis habuit.

1. Primus casus est, quando alienatio dolo facta reperiuntur.
2. Alter. Si pater monasterium ingrediatur.
3. Tertius, quando pater uni filiorum aut etiam extraneo in officiose in vita donat.
4. In officiose donatione duobus modis sumitur.
5. In officiose donationem esse, licet non exceedat bessem, rationibus confirmatur.
6. Donationes ab initio, vel ex post facto in officiose, in quo differant.
7. Dilinuntur contraria.
8. Ut in totum revocetur donatio duo necessaria.
9. Querela in officiose testamenti ac in officiose donationis in quibus conueniant & in quibus differant.
10. Donatio aut est re & consilio, aut re tantum in officiose.
11. Ecclesia loco filii habetur.

HX his apparet in summa, quantitatem legitimam esse metiendam & conficiendam habito respectu ad bona, quæ defunctus habuit tempore mortis, d. L. cum queritur C. de inoff. paucis exceptis casibus.

- 1 Primus est, quando alienatio dolo facta reperitur L. etiam §. fin. de bon. libert. Vbi in fraudem distracta pronon alienatis habentur & in bonis esse censentur C. Raynus iuncta gl. §. fin. in verb. deducenda. Alter casus est, quando pater ingressus est monasterium, & professus religionem, tum statim debetur & petitur legitima t. Cum scimus, iuncta doctrina Panormitani. de regularibus. Auth. Si qua mulier, iuncta gl. pen. C. de sacrosanct. Ecclesij.
- 2 Tertius iuncta gl. §. fin. in verb. deducenda. Alter casus est, quando pater vni filiorum, aut etiam extraneo in officiose in vita aliquid concessit, Auth. unde & si parens C. de inoff. L. i. t. t. C. de inoff donat. §. i. de immensis donat. in Auth.
- 4 Ad quorum verum & sincerum intellectum in officiosam donationem dupliciter censemus. Primo ab initio, quando pater donando, excedit bessem vel semissimem, ut quod superest, non sufficiat ad integrum aliorum filiorum legitimam secundum Accurs. in Authent. unde & si parens in verb. immensam & d. §. i. de immens. donat. super eod. verbo. idque siue re, consilio, in officiose pater donauerit, siue re tantum citra fraudis consilium L. i. L. Si totas L. Si mater L. Si liqueat iuncta ubi gl. C. de inoff. donat. Quo sensu idem Accursius & vulgo interpretes intelligentiam esse existimant d. Auth. unde & si parens & t. tit. de donat, & tit. de inoffic donat. Verbi gratia, si pater habens quatuor liberos & patrimonium duodecim mille aureorum,

aureorum, in vnum ex libris contulerit decem millia, & ita supra bessem ut aliorum legitima salua non sit, putat Accurs, & ceteri, isto casu legitimam ceteris conficiendam, habito respectu ad bona, quæ fuerunt ante donationem, & ita singulorum legitimam fore mille aureorum. Qua ratione isti innuunt præfata Auctent. non esse locum, si pater donasset, intra bessem & in patrimonio reliquisset, quod sufficiebat ad integrandam aliorum legitimam.

Secundò nobis inofficiosa ex post facto videtur, etiam si pater bessem non excesserit aut semissem modo minus filijs reliquerit sua legitima, eam illis constituen-
do habita contemplatione bonorum, quæ possidebat tempore mortis, nulloque habito respectu ad bona, quæ iam donauit, verbi gratia, idem pater habens quatuor liberos & patrimonium duodecim mille aureorum, si duo millia aureorum vni dederit, & ita multo intra bessem, & postea alijs reliquerit legitimam non habito respectu ad res donatas, inofficiosa censetur huiusmodi donatio ex post facto, hoc est, propter factum testatoris relinquenter minorem legitimam causa donationis prius factæ, eam metiendo ad bona præsentia, non ad præterita, quæ iam donauit, idque arg. L. Palam §. Cirea de except. dol. ubi datur exceptio dol aduersus conventionem, que ab initio dolocarnuit, si ex post facto dolose actor agat.

Hanc autem meam definitionem probo auctore Iustiniano in §. 1. de immens. donat. ponderando in primis hac verba; Si pater immensam fecerit donationem, seruare debet quantum debetur ceteris pro legitima.

Quibus verbis IUSTINIANVS innuit & significat immen-

immensam appellari, quamuis non excedat bessem, nec diminuat legitimam. Secundò ponderando verba omnibus modis supplendam legitimam, ergo siue donatio sit in officiosa priore modo, siue nostro secundo. Tertiò ponderando vers. *immenſitatem laderē ceteros.* Quibus perspicuè innuitur, mentem & scopum Iustiniani esse, ut per donationes parentium filiorū legitima nullatenus dimittatur. Postremò perpenditur *Auth. unde & si parens, vers. si opus sit legitima supplebitur,* quibus etiam verbis negari non potest, interdum immensam censeri donationem & locum esse ei Authenticæ, & nouo Iustiniani beneficio, quamuis donatio ab initio non excedat bessem aut semissem, quia semper excederet, nec aliter diceretur in officiosa, semper esset opus supplere legitimam, & ideo ineptè diceretur *in d. Authent. i. si opus sit legitima.* His suffragatur quod alias titulus de immensis donationibus & *Auth. unde & si parens superflueret,* nam satis superque antiquitus constitutum fuerat donationes ab initio in officiosas, quæque statim ab initio legitimam detrahunt & ipsam diminuunt, vsq; ad bonorum subsidium reuocari. Quamobrem ne otiosum & vanum sit Iustiniani beneficium, dicendum nobis est ne dum donationem illam ab initio, in officiosam, sed etiam ex post facto.

9. Verum hæc posterior à precedenti eo maximè differt, quod ab initio in officiosa à donatario reuocetur, & de rebus donatis detrahitur, quantum opus est ad legitimam conficiendam *Si totas & t. t. C. de inoff. donat.* Si vero ex post facto in officiosa sit, per quam ab initio nihil detrahitur de legitima, sed posterior facto testatoris duntaxat minus relinquentis, nulla ex parte reuocatur, neque quicquam detrahitur de rebus donatis, sed à solo herede supplebitur, quod actio in eum tantum

d. Auth.

*d. Auth. unde & si parens, in vers. si opus sit, iuncta L. scimus
C. de inoff. L. fin. C. de heredit. act.*

Ceterum superioribus refragari in primis videtur L. *Si 7*
*vnquam C. de reuoc. donat. vbi immēsa ista donatio in totū
reuocatur, ergo frustra disputatur de reuocanda portio-
ne legitimæ, cum in solidum reuocetur. Huic vulgo
satisfit, ibi agi de donatione facta extraneo, & non extan-
tibus liberis tempore donationis, quæ in totum reuoca-
tur, non quia inofficiosa, sed propter superuenientiam li-
berorum.*

Nos autē hīc loquimur de donatione facta liberis, quæ
nunquam reuocatur, siue facta sit extantibus liberis, siue
postea susceptis, nisi usque ad bonorum subsidium d. L.
Si totas. Ratio differentiæ, quia liberi sunt extraneis fa-
uorabiliores L. *vn.* de his qui ante apertas tap. Vt in to-
tum ergo reuocetur donatio duo sunt necessaria. Prius
est, vt fiat extraneo; posterius, vt fiat non extantibus li-
beris, sed eis postea superuenientibus. Vnde si fiat extraneo
donatio liberis iam extantibus & natis, alijs post nō super-
venientibus, non reuocatur in totum, sed ad legitimam
usque duntaxat, L. *i.* de inoff. donat. quæ ita conciliatur
cum d. L. si vnquam C. de reuocant. donat.

Secūdō obstat, quod etiam donatio inofficiosa liberis
facta usquequaq; reuocetur d. l. i. & L. si liqueat C. de inoff.
donat. vbi aduersus eiusmodi donationem datur quare-
la inofficiosæ donationis, ad instar querelæ inofficiosi te-
stamenti, ergo sicut querela inofficiosi testamenti totum
euertit testamentum L. Papinianus §. fin. vers. recisso testa-
mento L. cum nostram de inoff test. totam quoque expugna-
bit donationem querela inofficiosæ donationis. Huic
occurritur, hanc nostram inofficiosæ donationis quare-

¶ Iam maiore ex parte similem esse quærelæ in officiis testamenti, nō tamen per omnia & genraliter *L. fin. C. de inoff. donat.* puta, similis est quoad causam: Nam vtraque querela datur, si filius in portione quartæ reperiatur fraudatus, vulgatis iuribus d. *L. Papinianus* §. *Si quis mortis. iuncta L. 1. & tot. tit. C. de inoff. donat.* Rursus similis est, quoad tempus. Vtraque enim durat quinquennio *L.* *Si quis filium* §. *fin. C. de inoff. testament. iuncta L. fin. C. de inoff. donat.* Denique similis est quoad mores, quia vtra que cessat propter ingratitudinem. §. *Causas in Auth. ut cum de Appel. cog. iuncto* §. *fin. de immens. donat in Auth.* At vero quoad effectum querelæ cessat similitudo, secundum gl. vulgo probatam in d. *L.* *Si liqueat L. 1 C. de inoff. donat.* Ratio differentiæ. Quia quando filii non consequuntur legitimam ex testamento, duplex est peccatum patris. Vtrum contra pietatem & officium paternum, *L. nam & si parentibus de inoff.* Alterum contra formam & solennitatem testamento præscriptam *L.* *inter ceteras de lib.* & post §. 1. de ex hered. lib. *iuncta L. Papinianus* §. *Quoniam de inoff.* Atvero quando filius fraudatur legitima per donationem, unicum pietatis & officij delictum est. *Quo sit, vt hic mitior,* illuc vero scuerior sit querela.

Tertio, quod saltē pro dimidia parte totius patrimonij donatio in officiis reuocetur, *L. Titiae* §. *Imperator 10 de leg. 2.* Huic veteres occurserunt distinguendo, in officiosam donationem esse interdum re & consilio, & rūnc in totum odio fraudis & consilij renocatur, & eo sensu procedere §. *Imperator*: Interdum vero tantum, citra fraudis consilium §. *Prenatisse. quib. ex caus. man. Inst.* & ista non in totum reuocatur, sed usque ab bonorum subsidiū duntraxat: ad quam speciem donationis referendæ sunt leges omnes, quæ pro subsidio, donationem tantum reuocant.

ēant. Secūdō & melius occursum est (nam vulgō à præcedenti veterum solutione receditur) in isto tractatu inofficioſæ donationis & reuocationis dimidiā partem dici respectu quartæ portionis, ad quam vſque duntaxat fit reuocatio. *L. Si mater. L. si liqueat C. de inoff. donat. Quo fit. vt ex interpretatione harum legum in d. §. Imperator donatio reuocetur pro dimidia, vtpote quartæ portionis secundum gl. in eod. §. in verb. dimidia.*

Postremō, quod ex aduerso nulla ex parte reuocetur donatio inofficioſa etiam iure fori, hoc est, iure ciuili & positivo, iure actionis & querelæ *C. fin. 17. q. 4. ponderando ea verba; in potestate habeat Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli.* Huic satis facies Ecclesiā loco filij haberi, *II Auth. Si qua mulier C. de sacro sanct. Eccles. Auth. Nisi ro-gati C. ad Trebell.* Quamoberem reuocationem eius donationis non fieri nisi ſecundum diſtinctionem tot. tit. deim-*mens. donat. & de inoff. donat.* Ideoque iſta verba *in potestate habeat non reddere iure fori* ſunt intelligenda, in totum ſcilicet, vt tota donatio non reuocetur, ſed vſque ad bo-
norum ſubſidium, quoties eſt facta liberis ſecundum
diſtinctionem præcedentium titulorum *iaque ſecundum gl. in d. C. fin. in ver.*
non reddere.



DE MODIS QVI A LEGITI- MA petitione excludunt.

Synopsis.

1. *Questio, an filii, qui à parentum suorum successione iustè excluduntur in filiorum numero, ad aliorum qui succedunt legitima portionem vel augendam vel minuendam, existimandi sint? Vide cap. sequens.*
 2. *Iis quibus legitima debetur in triplici ordine sunt.*
 3. *Qui ab intestato succedunt, quarelamq; in officiosi habent, ijs debetur legitima.*
 4. *Duplex ratio, cur legitima instituta.*
 5. *Liberis praecateris legitima relinquenda.*
 6. *Modi qui à legitima petitione excludunt.*
 7. *Ex meretricio coitu, vel ex adulterio, vel ex stupro nati ne alimentis quidem iure ciuiili digni esse censentur; quam duitem ius Canonicum mitigavit.*
 8. *Naturalibus autem, hoc est. ex concubina natis à matre, non tamen illustri, legitima relinquenda.*
 9. *Qui etiam una cum matre sua, matre legitima & legitimis liberis non existentibus, patri naturali ab intestato succedunt in duabus vincis.*
 10. *In regno Gallia tam naturalium quam adulterinorum, una eademq; est conditio quo ad successionem.*
 11. *Licet dos, donatio propter nuptias & alimenta ob equitatem iuris Canonici ipsis debeatetur.*
 12. *Nepotibus ex legitimo matrimonio filiorum naturalium editis, in bonis matrum legitima debetur.*
 13. *Vulgo questi cognatos non agnatos habent.*
 14. *Quod donatur naturalibus incestuosis similibusq; personis, loco usufructus habent.*
 15. *Statuto legitima afferri potest.*
 16. *Mater excluditur a legitima per pupillarem substitutionem.*
 17. *Mater necessario filio suo tutorem petere debet; quod si neglegat, à successione repellitur.*
- Non

18. Non est bona cōsequētia, Cessat querela, ergo petitio legitima
 19. Heres institutus an repudiata hereditate legitimam conse-
 quatur?

Hic accommodatè quæri potest, quia portio liberorū & aliorum legitimariorum, aut maior, aut minor id est, triens aut fēmis iudicatur, pro numero personarum, quibus legitima debetur; an qui non admittitur ad partem, faciat partem & numerum? Ad cuius dubitationis dilucidam interpretationem præfandum est. Legitimariorum tres ordines esse, primus est liberorum, quibus accedūt post-humi *L. liberorum de verb. sig. l. possumus de inoff.* Accedunt quoque legitimati, ut vulgo loquimur, siue per principis rescriptum, siue per oblationem curiæ, siue per dispositionem testatoris aut per subsequēs matrimonium, aut alios plures modos, quos Iustinianus congesit sub tit. *Quibus modis naturales fiant legitimi in Auth. §. fin. de nupt. inst. C. tanta, Qui filii sint legitimi.* Accedunt & legitimi, *L. filii adoptiui*, sed vno casu tātum *L. cum in adoptiu C. de Adopt.* *§. fin. inst. eod.* Secundus ordo est parentum, id est, patrū, auorum & maiorum omnium *L. i. de inoff. iuncta L. nam & si parentibus, cod. L. 5. de in ius voc.* Tertius est fratribus cōsanguineorum, tūpi persona instituta *L. fratres L. fratribus C. de inoff. iuncto §. i. inst. eod.*

His solis debetur legitima, quibus & successio ab intestato. *præfatis iuribus iuncta L. Papinianus §. Si quis mortis de inoff. L. parentibus C. cod. ubi legitima definitur portio successionis ab intestato:* Non tamen omnibus legitimis heredibus, sed his du ntaxat, quibus datur querela in officio si, id est, liberis, parentibus, fratribus consanguineis, turpi persona instituta d. *L. i. de inoff. §. i. cod. inst. iuncto §. i.*

vers. Hoc obseruando de trient & semiſſ. Auth. Instituta est enim legitima duplii de cauſa.

4 Prior est ad excludendam querelam inofficioſi d. L. *Pa-*
pinianus §. quoniam quarta. Posterior ut post mortem pa-
 tris, filij beneficio legitimæ, alimenta à patre sibi debita
 consequantur. L. *Quisquis §. ad filias C. ad L. Iul. maiestat.*
§. 1. de trient. & semiſſ. in Auth.

5 Istis autem magis debetur naturæ portio quam ceteris
 legitimis heredibus, quod maius sit naturæ debitum, vo-
 tum, pietas & arctius sanguinis vinculum L. 1. de port. que
 filijs damn. L. nam etſi parentibus de inoff. L. *Iura sanguinis de*
reg. iuris. L. sub agnationis de pactis. Porro liberis, pa-
 rentibus, fratribus & consanguineis legitima debetur non
 quidem simul & eodem tempore, sed vicissim, seruato
 quodam ordine successorio & ediſti, L. *pater filiam, L. Si*
non mortis causa §. fin. L. *Si is qui. De inoff.* puta liberis pri-
 mum, deinde parentibus, & denique fratribus & alijs con-
 sanguineis. Sed & inter liberos ipſos idem ordo serua-
 tur, ut primò debeat filijs, deinde nepotibus, & deinceps reliquis posterioribus, secundum ordinem successio-
 nis ab intestato & quærelæ §. 1. de heredib. ab intest. ven. in
 Auth. §. Ita demum de hered. que ab intest. defert. Inst. L. *Si quis*
filium, secundum unum intellect. C. de inoff. testam.

Olim tamen nepos in potestate constitutus in succeſ-
 sione cui cum filio emancipato simul admittebatur L. *Si*
proponas 33. §. Si pater emancipatus de coniungendis cū emanc.
lib. quamuis hodie sublata patriæ potestatis & emancipa-
 tionis differentia, filij nepotes excludant d. §. 1. de hered.
 ab intest. venientib. secundum Accurs. in d. L. *Si proponas in*
ver. iungetur in fin. gl. Rursus parentum & fratrum or-
 do hodie quoque confunditur uno casu, puta, turpi
 persona

persona instituta. Vnde existentibus parentibus & fratribus simul legitima debetur, quod hodie inter istos confusus quoq; sit ordo successionis ab intestato. *Auth.*
defuncto C. ad Tertyll.

Secundò præfandum est, filios legitimarios & reliquos à petione legitimæ multis modis excludi, & ita ad partem eiusdem nō admitti. Primò, de portatione & alia qualibet pæna qua delinquens seruus pænæ efficitur, maximiñ, quod isti pro mortuis habeantur, *L. 1.* §. fin. de bonorum posse. cont. tab. *L.* Si necem §. Si deportatus. de bon. qua lib. *L.* sunt quidam serui pæna *L.* Qui ultimo supplicio, de pænis.

Secundò, ex hereditatione *L. 1.* §. Si pater emancipatus de coniug. cum emancipat. liberis *L. 1.* §. Ex hereditatis. de port. quæ fil. damn. deb. Tertiò, religione mendicantium, *Cl.* Exiuit, de paradiso de verb. sig. in Cle. Mendicantium diximus, quia ciuili iure & codicis alij religiosi & multò minus seculares Clerici, nedum legitima, sed nec hereditate per ingressum & professionem religionis priuantur L. *Deo nobis* §. 1. de Episc. & Cler. Rursus iure ciuili adiécimus, quia iure & constitutione huiusc regni quicunque religionem professi, priuantur & excluduntur successione legitima, secundum pragmaticos, nisi hodie si infra 25. annum eam profiteantur, secundum constitutionem regiam Aureliae nuper editam art. 19.

Quarto, damnato coitu: Qua ratione nefarij, adulterini, aut alio quolibet complexu illicito nati, legitima excluduntur *Auth.* Ex complexu *C.* de incest. nupt. *Auth.* licet *C.* nat. lib. Imò ab alimentis iure ciuili, *eisdem iurib.* Iure inquā ciuili: Nā iure pontificio & eiusdem æquitate alimēta debentur & decernūtur c. cujus haberet de eo quā

eo qui duxit in matrimonium quam poll. per adult. notatur in Epitome Auth. Ex complexu C. de incest nupt. Vnde eodem iure & eadem aequitate receptius quoque est, filiabus dotem constitui oportere necessario & filiis donationem propter nuptias, secundum Guil. Benedictum in Com. ad C.

- 8 Raynulius.** *De naturalibus tamen & spurijs ex cōcubina, quam vxorem ducere potuit tempore complexus, inter omnes conuenit, in bonis matrum iure ciuili legitimam sibi deberi, exceptis illustribus L. Si qua illustribus C. ad orf. §. nouissime instit. eod. & ideo quærelam sibi competere,*
- 9** *quamuis liceat patri, si velit, quipiam pro arbitrio largiri; quanquam ab intestato vno casu duæ vnciæ cum matre concubina diuidendæ eodem iure debeātur, d. Auth. licet de natur. lib. Iure ciuili dicimus, quod hodie scilicet*
- 10** *in Gallia vna sit omnium conditio naturalium, scilicet cum ceteris, quod in hoc regno omnis coitus etiam simplicis fornicationis sit vetitus secundum legem diuinam.*

Quamobrem neque in bonis matrum eis legitima debetur, neque aliquod ius in bonis parentum etiam ab intestato. Imò quod ijs hodie in Gallia relinquitur fiscus tanquam ab indignis sibi vendicat, secundum eundem Benedictum & omnes pragmaticos, & nouissime secundum Imbertum in Enchiridio C. spurius. Exceptis tamen vbiique alimenti, dote & donatione propter nuptias secundum prefatam aequitatem C. qui haberet, *De eo qui duxit in ux. quam poll. per adult.* Quod diximus de Fisci vindicatione, quibusdam Senatusconsultis obtinuit, sed receptius est, iuri & rationi magis, consentaneum, vt quod supra modum datur istis liberis addicatur legitimæ proli & legitimis heredibus L. 2. de nat. lib. L. 1. L. Aufertur de iure Fisci eo quod sit. de his quibus ut indig. intelligatur loqui de indignis suo non alieno delicto, secundum Bartol, diserte explicantem in

L. Heren-

in L. hereditas C. de his quib. ut ind. Sed nam nepotibus 12 præsertim ex legitimo matrimonio filiorum naturalium editis debeatur legitima? Hic quoque verius est, *in bonis quidem matrum & cognatorum legitimam deberi, quod sit cognatio inter istos §. vulgo quesitos de de successio. cogn. apud Iustin. L. Hac parte, L. Sispurius. unde cognati.* In bonis autem patrum neque legitima debebitur. quod 13 ex aduerso neque cognatio, neque consanguinitas vila intelligatur. *Prefatis iurib. iuncto §. Si aduersus, instit. de nupt.* Vnde consequens est istis filiis successionem non deberi, quamuis nulla sobole existente, pater pro arbitrio & sponte instituere possit. *L. fin. C. de natur. liberis.* Ceterum iure nostro Gallico istorum quoq; mutue successiones irritæ sunt, nec auus nepotem etiam legitimū ex filio naturali & spurio, magis instituere potest quam filium ipsum naturalem aut sparium: quod radix infecta censeatur, vt nec nepotis quidem nomen mereatur, quod indistinctè omnis coitus etiam naturalis sit prohibitus & damnatus. Nec obstat quod aliena naturalibus iure ciuili debeantur *d. Auth. licet, & iure Pontificio ceteris etiam omnibus, nefarijs, incestis, adulterinis, spurijs, ergo & legitima, quæ loco alimentorum successit, debebitur.*

Nam loco alimentorum successit quidem, sed in personam legitimorum tantum. Rursus successit quidem in locum alimentorum, sed non tantum: imò etiam loco successionis natura debitæ *L. cum ratio, de bon. damnat. iuncto §. 1 de hered. & falcid. in Aubt.* Quare cum his legitimis successio debeatur, naturalibus autem non debeatur, *ut sup. dixi, in persona istorum non succedit legitima alimentorum, quia nulla illis debetur successio: quamuis in persona illorum succedat, propter sibi debitā successionem.*

M Sed

Nota

Sed an quod donatur istis superioribus filijs siue dotis nomine, siue alimentorum caussa, idque vel ex præscripto iuris ciuilis, vel æquitate pontifica, vel ex regni consuetudine, loco vesusfructus censetur, ut mortuo donatario extinguitur vesusfructus & proprietas ad heredem donatoris redeat; an contra pleno quodam iure relictum censeatur ut liberum sit donatario disponere & alienare tam inter viuos, quam in ultima voluntate. De hac quæstione videbis. *Imbertum in Enchiridio d. C. Desideicommis. nec non Chassan. in tit. preſtres Baſtars §. 3. in secunda ampliatione;* à quibus quod datur supra dictis liberis censemur loco vesusfructus, quod alimenta cum vita finiantur. *L. cum sic §. vult igitur ratio. de transact.* Idem tamen *Chassan in tit. de ſucceſſionis de Baſt. §. 1. vers.* Sed quod aliter, longe aliter censet: Iſtud quod datur & relinquitur huiusmodi liberis, censi pleno iure datum & quæſitum, ut libera ſit in quemlibet alienatio, ſublata omni regressus ſpe, cuius ſententia probabilior videtur, maximè ſi filius iſte donatarius alios habeat liberos, quos etiam ab auo & eius heredeali oportet, eadem æquitate. In dote etiam verius eſt & æquius, pleno iure acquiri & transferri poſſe: aliás quotusquisque cum his nuptias contraheret, præſertim ubi maritus lucratur domum & vxor augmentum.

Quinto arcetur legitimarius à petitione legitimæ renunciatione, quam patri adhuc ſuperstiti fecit. C. Quamvis pactum de pact. in 6. L. 1. §. Si parens ſi à par. quis fuerit man. Qualis autem renunciatio eſſe debeat, & quando facta noceat, & vtrum renunciatio filiæ, noceat nepotibus, maximè, ſi filia prämoriatur prius, & nepotes ſuo iure vel omissa matris hereditate, legitimam in bonis aui

qui sibi debitam prosequantur, fuisse nuper diximus in commentarijs ad L. Pactum quod dotali. C. de pact. &c. Quamvis pactum in 6.

Sexto arcetur interdum statuto vel consuetudine, verbi gratia si caueatur, extantibus masculis, filias, nedū à successione sed etiam à legitima excludi: vel Tholosæ, extantibus agnatis, matres ad successionem filiorum non admitti, & ita ad legitimam, quæ, vt supra diximus, portio est quædam debitæ successionis ab intestato.

Sed an ista statuta & consuetudines æquitate nitantur, & iure constent & probentur, infradicemus. Valere tamen aiunt interpretes, & liberos legitimam priuari.

Quod tamen moderandum & temperandum, si nominatim & expressè non verbis generalibus, filia, mater aut reliqui legitima priuentur. Nouissime enim pluribus Senatusconsultis in hac ciuitate, senatus matri legitimam decreuit, contra Statutum ciuitatis huius, quo extantibus agnatis mater excluditur: ea potissimum ratione, quia consuetudo verbis generalibus concepta est.

Septimo, priuatur mater legitima per pupillarem substitutionem L. Papinianus §. Sed neg. impuberis, de inoff. C. Si pater, vbi hoc expressum est. de testament. in 6.

Senatusconsulto tamen Burdigalæ pridie Pentecost. ANNO 1568 præside domino de Largebaston, legitima decreta est matri, contra pupillarem substitutionem, Neq; huic SC. obstat praefatus §. Sed nec impuberis, vbi mater quidem excluditur à querela, quam petere non potest per viam querelæ, cum sit odiosum remedium; sed non ideo consequens est, ergo om-

omnino priuatur legitima, quandoquidem alius extat modus longe mitior eiusdem petendæ, puta condicō ex lege secundum *Accurs. in Auth. Præbyteros in 2. C. de Episc. & Cler.* Duobus ergo remedij peti potest legitima: Priore per viam querelæ, à qua mater arcetur, quod sit odiosum remedium *arg. L. non debet de dolo.* Posteriorē, per viam condicōnis ex lege quod est remedium lougē mitius & humanius, quo mater præterita in testamento pupilli, legitimam petit contra pupillariter substituta.

¹⁷ tum *arg. L. I. §. Dixerit aliquis de public. & vectig.* Vnde apparet consequentiam bonam non esse, cessat quærela, ergo petitio legitimæ. Nam in testamento militis & quasi, cessat quærela, *L. fin. C. de inoff. L. fin. C. Qui test. fac. poss.* Et tamen legitima debetur parentibus, quibus negatur quærela contra eorum testamenta *d. Auth. Præbyteros.* Minus obstat *C. Si pater, de testam. in 6.* Tum, quia ex illo comuni errore intellectus *§ Sed nec impuberis, defluxit;* Tum quia inde descendēs intelligi debet, matrem priuari legitima per viam querelæ, *quemadmodum in cod. §.* non autem per alium modum, condicōnis scilicet, quod odiosa non sit, sicut querela. Denique nihil obredit *L. praecibus C. de impuber.* Vbi quidem mater priuatur vniuersali successione filii impuberis per substitutionem pupillarem sub compendiosa comprehensam. De legitima autem, id est, legitimæ exclusione nullum verbū facit Imperator. Quare saluam habet petitionem legitimæ mater per condicōnem *d. Auth. Præbyteros, iuncta gl. fin. C. de Episc. & Cler.*

¹⁸ Octauo quoque mulier successione & ita legitima priuatur si filio impuberi tutorem petere neglexerit. *L. omnem C. ad Tertyll. §. pen. Inst. cod. L. Sciant C. de legit. hereditib. idque pluribus concurrentibus que gl. congesit in L. 2. C. ad Tertyll.* Nono,

Nono, institutione vniuersali, propter regulam imputationis, idquè secundum aliquos, multis tamen relutantibus argumentis, *L. quoniam nouella. de inoff.* Quorū controversias opiniones vt conciliemus duas hic cōficiemus regulas. Prior est, vni filiorū vniuersaliter instituto, alijs vero particulariter in legitima tantum; institutum vniuersaliter & legitimam & hereditatem habiturum: legitimam tanquam filium: & hereditatem tāquam quemlibet alium, *arg nostric. Raynatius*, vbi filius grauatus de restituendo hereditatē, legitimam consequitur vt filius, Trebellianicam vt extraneus quilibet, & quia heres. Secundo, *arg. L. omnibus §. Si Titio de leg. id est. L. 44. §. fin. de condit & demon. secundum Castrensem in d. Auth. nouissima C. de inoff.* Nec Obstac, quod vtraque instituendæ legitimæ ratio in isto vniuersaliter instituto cesseret, puta querelæ & alimentorum, ergo eiusdem petitio.¹ Nam consequitur legitimam iure quodam retentionis, vt non egeat querela, neq; petitione alimentorum, quia pñes se habet. Adde quod alia etiam causa sit legitimæ instituendæ, nimirum vt succedat loco debitæ portionis, *L. 1. de port. qualib. damnat.*

Quam obrem filius heres vniuersalem legitimam cōsequitur, non propter querelam, aut propter alimenta, sed propter aliam sibi debitam in totum successionem, *d. L. 1. iuncto §. Primum itaq. de hered. & Falc. in Auth.* Minus obstac *Auth. ex testamento C. de collationibus*, & illa regula computationis, quæ legitimam petenti vtique objicitur *d. L. quoniam nouella C. de inofficio*. Nam hæciura procedunt, quando legitimarius habet coheredes vniuersales, quibus satis exceptio collationis & imputationis competit. *L. Seruus in pr. C. de inoff. tot. tit. de collatione bon. & de collat. doris.*

94 CAP. X. DE MOD. QVIA LEG. PET. EXCL.

Posterior regula est; Filium vniuersaliter institutum cum alijs siue fratribus, siue extraneis, pro rata coheredū portione legitimam non habiturum. Ratio differentiae est, quia istis coheredibus vnuersaliter institutis competit exceptio imputationis, quā mox particulariter institutis negatam diximus d. L. Scimus C. de inoff. iuncta L. Quoties C. de hered. instit.

Decimo, repudiatione facta post mortem patris, aut alterius ex cuius bonis debetur, §. penult. de hered. qualit. & differ. L. nec emere, de iure de lib. C. l. In iusto de reg. iur. L. pen. C. de paetis. Quibus suffragatur L. Si proponas §. pen. L. Qui repudiantis de inoff.

19 Sed an institutus repudiata hereditate legitimam cōsequatur? Plerisq; visum est posse, Primo, arg. L. Quoniam in pr. de inoff. Secundo L. filio pater de leg. 2. ubi filius heres idemque legitimarius, dimissa hereditate legatum nihilominus retinet. Tertio, arg. L. Heres instituta C. de impub. ut L. debitum C. de heredit. act. Vbi creditor institutus, repudiata hereditate, creditum petere potest, & consequi, ergo & filij, quia in legitima creditores quasi sunt L. fin. de Codic. Receptius tamen est post Bart. in L. Gerit. de acquir. hered.

Vna repudiatione hereditatis, filium quoque in consequiam, priuari legitima. Primo, arg. L. i. de acq. heredit. Secundo, arg. L. Iam dubitari de hered. inst. iuncta L. i. §. Qui in potestate. Si quis omissa causa test. nisi uno casu, quando substitutum haberet L. Si libertus patrono §. ergo de bonis libert.

DE IIS

DE HIS QVI VEL FACIANT VEL
non faciant partem in computatione
legitimæ.

Synopsis.

1. *Eum, qui non admittitur ad partem, partem non facere, rationibus confirmatur.*
2. *Deportatus, exhereditatus habentur pro mortuis num. 12.*
3. *Paris sūt filios nō habere, & habere quid, sed iustè ex heredatos.*
4. *Inter eos, quibus debetur legitima ius accrescendi locum habet.*
5. *Fundamenta Bartoli & Castrensis, qui dicunt, eum qui nō admittitur ad partem facere partē: & portionē exhereditati ne quaquam lucro cedere aliorum filiorū, sed heredis instituti*
6. *Pœna unius non debet esse alterius premium,*
7. *Refutantur argumenta Bartoli & Castrensis.*
8. *Duos sunt genera eorum qui non admittuntur ad partem.*
9. *Prius eorum qui prorsus nullo iure admittuntur.*
10. *Posterior eorum, qui non iure actionis, sed alio, puta exce-
ptionis vel retentionis admittuntur.*
11. *In iure accrescendi opus est ut portio omnino deficiat.*
12. *Exhereditatio duplex, una iusta, altera iniusta,*
13. *Illis non debetur legitima, qui ex testamento succedere nequeunt.*
14. *In legato particulari non habet locum ius accrescendi.*
15. *Maior est affinitas legitime quam legati cum eadē heredi-
tate & quare.*
16. *Exhereditatio odiosa.*
17. *Rationes pro communī sententia adducte reiciuntur.*
18. *Bartolas ex parte tantum impugnat communem opinionem.*
19. *Iustè ex hereditatus partem facit & ad partem ut & totam successionem admittitur,*
20. *Qui sit effectus querelæ inofficioſi testamenti.*
21. *Portio ingrati ad gratos pertinet non iure accrescendi, sed in-
re proprio per remotionem obſtaculi ac quasi ius non decrescendi.*
22. *Nihil tam nature conueniēs, quam feruare voluntatē defūcti.*
23. *Filia dotata vel statuto vel iurata renunciatione iure scilicet
pontificio a successione excluduntur.*

25. An filia exclusa renunciatione iurata ab hereditate paterna, referenda sit in filiorum numerum, ad augendam aliorum filiorum, qui non renuciarunt, portionem.
26. Distinguitur.
27. In dubio præsumitur filiam renunciasse in favorem suorum heredum.
28. Filia dotata, tūm propter dolus ex proposito commissum, tū etiam ex re ipsa per enormissimam lassionem contingentem, ad restitutioñis beneficium conuolare possunt.
29. In duobus casibus cessat restitutio.
30. An filia à successione exclusa rigore statuti, vocatio filios masculos ad successionem in numero filiorum sit, ad angendam vel minuendam portionem legitima masculorum?
31. In qua questione duplex est opinio, una Baldi, altera Angelii.
32. Num ut filia lesa aduersus renunciationem & iuramentum restituitur, ita etiam contra receptum statutum & legem municipalem restituatur?
33. Distinguitur.

HIS præfatis, redeo ad quæstionem propositam, de qua duplex est opinio.

Vna est Dyni antiquissima, quæ & hodie communis est, & vulgo recepta, eum, qui non admittitur ad partem, qualis est deportatus, ex hereditatus, hereticus, & similes, non facere partem, sed legitimario capaci, non heredi accrescere. Cuius opinionis hæc sunt fundamenta.

1. Primum ex L. Si duobus §. fin. L. planè §. Si duobus deleg.
2. Vnde hæc regula videtur constare & perfici.
3. Secundum est vrgentissima ratio, quia is qui non admittitur ad partem, vt est deportatus, ex heredatus, &c. habetur pro mortuo. L. i. §. fin. L. Quarta §. liberi, L. si post mortem §. liberi de bonor. pos. contratab., L. si necem §. Si de- porta-

portatus de bonis libert. L. 1. §. Si pater emancipatus, de coniung. cum emancip. lib. Vbi paria sunt filios non habere, aut habere quidem, sed iuste ex heredatos §. In gratitudinem de nupt. in Auth.

Tertium fundamentum est, quod ad posteriore regulæ partem pertinet, legitimario scilicet portionem illius incapaci accrescere, & non heredi, quia in legitima habeat locum ius accrescendi inter ipsos legitimarios tantum L. Sive §. Sed nobis de iure patr. arg. L. Si proponas §. fin. L. Quare repudiantis de inoff. Vbi in querela habet locum ius accrescendi, ergo & in iure agendi ad supplementum legitimæ, L. *Omnimodo, de inoffic.*

Notu Ultimum est, quod eandem partem tuetur quod iniuum & absurdum videatur ut potius accrescat extraneo heredi, quam fratri naturaliter & ciuiliter coniuncto, arg. L. fin. de his qui ante aper. tab.

Secunda opinio est Bart. Castrensi. quæ superiori omnino aduersatur, legitimarium qui non admittitur ad partem facere partem, ideoque eius portionem heredi accrescere, non reliquis legitimarijs capacibus. Cuius opinionis hæc sunt fundamenta.

Primum depromit ex L. Si duobus in pr. quæ est 16. L. planè §. Si coniunctim quæ est 34. L. Huinsmodi §. Si Titio quæ est 86. Deleg. 1. L. Si Titio 7. de leg. 2. L. Liberis 7. §. 1. de liber. caussa. Vbi in vniuersum, qui nō admittitur ad partem, facere partem dicitur, & ita alios impedire, ne totū accipient.

Secundum fundamentum desumitur ex L. Papinianus §. Quoniam de inoff. Vbi ex heredatus, qui non conqueritur, nec instituit querelam facit partem fratri exheredato quærelam instituenti, vt totam hereditatem petere non possit, sed partem duntaxat, Adde ex fine eiusdem §.

Quoniam. quod portio neptis non efficitur propter exheredationem alterius.

Tertiū est ex eadem L. *Si quis mortis,* vbi legitima definitur, quarta portionis debitæ ab intestato, ergo exhereditus, aliás successurus ab intestato, partem facit in legitima.

Quartum maximè pertinet ad posteriorem partem huius opinionis, nimirum deficientem portionem accrescere heredi, & non legitimarijs, quod in re particuliari, qualis est legitima, quæ quota bonorum censemur, nō hereditatis, L. *Cum queritur C. de inofficio, & inter cōiunctos coniunctione legali,* qualis est etiam coniunctio inter legitimarios, non habet locum ius accrescendi. L. *Et proculo, de leg. 2.*

Vltimum, quo maximè adducitur Castrensis, in personam scilicet ex heredati, hanc deficientem portionem, hereditatum accrescere, quod exhereditatio ad commodum exheredantis & heredis sui facta videatur, **6** *cundum gl. in Auth. Hoc amplius, in verb. re coniunctis C. de fideicommissis.* Suffragatur quod pæna vnius non debet esse alterius præmium, ergo pæna exhereditationis non debet cedere lucro fratrum & aliorum legitimariorum L. **7** *fin. de eo per quem factum est.*

Ex his duabus opinionibus, si priorem vtpote receptiorem & communem magis, sequi & amplecti contendas, Bartoli obiectonibus & mox adductis fundamentis **8.9** facile in hunc modum satisfacies.

Ad primum igitur respondebis duo esse genera eorum qui non admittuntur ad partem: Prius est eorum, qui omnino nullo iure admittuntur, nec admitti sperantur, quales sunt deportati, religionem mendicantium ingrati, iuste exhereditati, nec non præmortui parentibus; qui-

quibus accedit postumus non natus & pleriq; similes. De quo genere communis opinio loquitur, & intelligitur, v partem non faciant, quia pro mortuis habeantur. d. L. Si duobus de leg. i. iuncta L. i. §. fin. de bon. pos. cont. tabulas §. Sed nostra. de succēs. lib. Instit.

Posterior est eorum, qui non admittuntur, iure scilicet actionis; alio tamen admittuntur, puta vel iure retentionis & exceptionis vel ex æquitate & humanitate, vel quamvis per se non admittuntur, per alium tamen admittuntur, aut denique admitti sperantur. De quo genere loquitur primum fundamentum Bartoli, Istos sc. qui non admittuntur vno modo, sed alio, vel admitti sperantur, partem facere legitimarijs, quia eorum portio non omnino deficit, sed adhuc constat & sustinetur vel spe, vel iure retentionis, vel æquitate & pietate, vel iure, fisco ob indignitatem quæsito; quo fit, ut hic non sit locus iuri accrescendi, quia portio omnino non deficit, sicut opus est in iure accrescendi.

Secundum quam distinctionem nihil obstante iura adducta in primo Bartoli fundamento, puta L. *Si duobus in plain.* Nam ibi is qui partem faciebat, postumus erat, qui nasci sperabatur, & ita admitti; qua ratione interim partem facit coniuncto, ne postea natus sua portione frustretur. Quod autem ibi agatur de postumo, coniectura dicitur ex §. fin. L. *precedentis, nec non ex §. fin. d. L. Si duobus.* Nihil quoque obstat L. *planè §. Si coniunctim,* vbi seruus proprius licet iure actionis non admittatur ad petendum legatum L. *Seruus C. de leg. si bi tamen ex pietate & humanitate debetur L. pen. §. Illo de success. ser. hered. debetut & iure naturali, L. Si id quod de cond. indeb.*

Qua ratione, quia non deficit, ideo etiam non omnino coniuncto accrescit. Sperat enim lex ex bono & a quo solutum in d. §. illo.

Minus etiam obstabit d. L. *Huiusmodi* §. *Si Titio*. Nam ibi quoque non omnino deficit portio Titij: habuit enim ius eam retinendi ratione proprij dominij, quod habuit in relegata ante legatum relictum, vnde cum non omnino deficiat, cessat ius accrescendi.

Nec rursus obstat d. L. *Si Titio* 7. de leg. 2. Vbi agitur de legato relichto Titio, & indigno cuiquam, qui partem ideo Titio coniuncto facit, quia quamuis per se non admittatur, per fiscum tamen admittitur. *arg. tot. tit. ff. & C.*
De his quibus & indig. Qua ratione cum omnino hęc portio non deficiat, sed ad eam admittatur indignus per fis-
12 scum, cessat merito ius accrescendi.

Hic dubitabit aliquis, quare deportatus, hereticus & ceteri ob delictum incapaces, non perinde partem faciant, hoc est, non perinde ad partem admittantur, per Fiscum, atque indigni ad quos restringitur d. L. 7. de legatis 2. Huic obiectioni occurritur, illos more & iure & omnino non capaces & pro mortuis habitos, neque per se, neque per Fiscum ad partem admitti. L. 3. de his qua pro non scrip. hab. d. L. 1. §. fin. de bonor poss. cont. tab. hos vero capaces quidem esse & legati & fideicommissi & hereditatis, sed indignos, ut fruantur beneficijs & bonis collatis, L. ex facto §. *Iubemus de vulg.* L. 1. L. *indignum*, *De his quibus ut indignis*. Qui autem dicantur non capaces, qui etiam indigni, docet *Accurs.* in L. 1. gl. 1. *De iure fisci*. in §. *Legari de leg. Inst. repetit.* Bart. in L. 1. de delat. lib. 10. C. L. 1. *dereg.* Caton.

Ad secundum Bartoli fundamentum respondebis, adhibita quoque distinctione, quod duplex sit ex hereditatio;

tio; vna iusta, qua exheredatus habetur pro mortuo & querela priuatur d. Sed nostra D. success. liber. Quo fit, vt iste ex heredatus, qui ad partem non admittitur, nec admitti speratur non faciat partem, nec computetur inter liberos. De isto ergo loquirur communis sententia. Altera est iniusta ex hereditario L. Non putauit, L. Non quamvis ff. de bon. poss. cont. tab. quæ parit quærelam in officiosis testameti propter quam filius admittitur ad successionem ab intestato L. Papinianus §. fin. de inoff. De qua exheredationis specie intelligitur d. l. Papinianus §. Quoniam, ubi iniuste exheredatus, quia speratur admitti per querelam facit partem, nisi repudiauerit, L. Qui repudiantis de leg. r.

Ad tertium satisfit, si dixeris, legitimam, portionem quidem esse successionis ab intestato, d. L. Si quis moris. Ceterum portionem non esse debitam ab intestato, sed ex testamento, & si testamentum fiat, rursus non omnino legitimam esse, sed eorum duntaxat, qui sunt capaces etiam successionis ex testamento. Iis enim non debetur legitima, qui ex testamento succeedere non possunt, quales sunt exheredati L. 3. §. Liberi, de bonor. poss. cont. tab. iuncto §. Ex heredatos de hered. & Falc. in Auth.

Ad quartum respondebis non valere consequentiam inter coniunctos coniunctione legali. In legato particuli non habet locum ius accrescendi, d. L. vi proculo. Rursus maior est affinitas legitimæ quam legati cum eadem hereditate. Nam legitima titulo institutionis relinquitur, sicut hereditas, §. Aliud. ut cum de Appel. cog. Pro legitima utile familæ erciscundæ iudicium decernitur L. 2. §. Pro quarta Fam. ercisc. Decernitur quoque petitio hereditatis secundum Bald. in L. Non est ambiguum C. eod.

Quamobrem mirum videri non debet, si in legitima habeat locum ius accrescendi, instar hereditatis, etiam in-

ter coniunctos solum legali coniunctione *L.* Seruus communis ab extraneo. de acq. hered.

- 17 Ad ultimum occurreret si dicas exheredationem non fieri fauore alicuius, immo contra fit odio exheredati, ut ingrati principaliter *L.* Cum quidam, de lib. & post. Vbi in exheredatione fit stricta interpretatio, quia odiosa. Ad suffragantem rationem ultimo subiectam bifariam occurritur.

Primò, retorquendo, quod non magis heredis præmium esse debeat quam legitimiorum. Secundo, negando deficientem portionem acquiri nomine præmij legitimarijs. Acquitur enim illis per remotionem obstatuli duntaxat, hoc est, quia exheredatus non extat, cum pro mortuo habeatur: qua ratione vñus est *I.C. in L.* Qui repudiantis. de inoffic.

- 18 Hactenus de communi opinione, eiusque aduersus Bartolum exacta defensione. Superest, vt ex aduerso & è regione Bartoli sententiam aduersus communem problematicè sustineamus. modo prius admonuero, 19 Bartolum non usquequaq; à communi opinione desciuisse, vt falso quibusdam persuasum est; sed quod attinet ad iuste exheredatum duntaxat. Vbiique enim Bartolus scriptum reliquit, deportatum, hereticum, & mendicantium religionem ingressum pro mortuis absolute habitos, neque partem facere, neque ad partem admitti. Bartoli ergo sententia est, legitimarium iuste exheredatum ad partem quidem non admitti, quia pro mortuo ad suum commodium censeatur, partem tamen facere eamque heredibus acquiri & non legitimarijs, quia pro mortuo non habeatur ad commodium hereditatis, idq; arg. *L. 3. de leg. 2.* Iuste exheredatum diximus, quia

quia iniuste exheredatus partem facit & ad partem admittitur, imò nedum ad partem, sed ad totam successiō nem, si solus sit exheredatus & vnicus, aut totam portionem sibi debitam ab intestato pluribus existentibus. Ef. 21
fectus namque querelæ in officiō testamenti est, expugnandi & subuertendi totum testameñtum, & ita aperiendī viam successionis ab intestato *L. Papinianus §. fin.*
de moff. test.

Nec obstat Bartolo primū communis opinionis fundamētū, quod petebatur *ex L. Si duob. §. fin. de leg. 1.* Nā ea iura loquuntur de his qui nullo modo admittuntur ad partem, neque per se, neque per alium, neque aliter; sed exheredatus, de quo loquitur Bartolus, admittitur per heredem, quod sufficit ad partem faciendam *d. L. 1. de leg. 2.* Nam, vt supra attigimus, exheredatus intelligitur fieri ad commodum heredis, qui excluso exheredato admittitur & instituitur, & quasi in hereditate includitur: quo fit, vt portio exheredati exclusi ad heredem translatā videatur, & ita ad eum pertineat, *arg. L. 1. §. fin. de assig. lib.* Exheredatus ergo qui à manu heredis accipit, partem faciet alijs legitimarijs, vel ideo maximè, quia quod aufertur ab aliquo, fauore alicuius, ad eum pertinere debet cuius fauore detrahitur *L. 1. & tot. tit. de in-off. donat. C.*

Rursus secundum non obstat, quo dicebatur nō capace pro mortuo haberi. Nam iura illa contraria debent accipi ne his, qui absolute habentur pro mortuis, qualis est deportatus & hereticus & similes: sed noster exheredatus de quo loquitur Bartolus non habetur pro mortuo absolute, & indistincte, sed ad suum commodum duntaxat & odio sui ipsius.

Quamobrem ad commodum heredis, nempe ut portionem legitimæ consequatur, habetur pro viuo ac superfluite, idque arg. L. 3 de his quæ pro non scriptis hab.

Tertium quoque non obstat, quo in legitima dicitur esse locus iuri accrescendi. Nam istud fundatum prorsus falsum est & in persona istorum in capacium & exclusorum. Impossibile enim est, ut expertum, id est, portiones non habentium portiones, dicantur accrescere. Portio enim quæ non est, nō potest accrescere; quandoquidem in iure accrescendi portiones deficiētes dicuntur accrescere. L. 1. iuncta rubric. C. Quando petent. port. Istorum ergo exclusorum non capacium legitima non potest accrescere alijs legitimarijs.

Nec obstat L. Qui repudiantis L. Si proponas §. fin. iuncta L. Omnimodo C. de inoff. L. Sive §. Ex duabus, de iure patr. Vbi in legitima, & in querela ex supplemento legitimæ expresse locum habet ius accrescendi. Nam illa iura loquantur non de exclusis sed de his quibus, debetur legitima, & qui ad eam admittuntur vel per querelam, vel per contratabulas, vel per ius agendi ad supplementū, inter quos, quia constat, quod sibi debetur legitima, merito locum habet ius accrescendi.

Deniq; non obstat §. ingratitudinem de nupt. Vbi portio fratri ingrati accrescit fratribus non ingratis. Nam ista lex loquitur de hereditate, in qua habet locum ius accrescendi: Nos hīc loquimur de legitima hoc est, quota bonorum, in qua locum nō habet. Vel melius: Portio ²² ingrati ad gratos pertinet, non iure accrescendi, sed iure proprio, per remotionem obstaculi, quia frater ingratus pro mortuo censeatur: Et hoc sensu verum est, quod habet communis opinio, legitimarios, qui non admittuntur ad partem, non facere partem, sed reliquos legitimarios

rios totum iuste consequi, non iure accrescendi, sed iure proprio, per remotionem obstaculi, quasi per ius non decrescendi, quia incapaces illi pro mortuis habentur.

Vltimo sic satis facies. Non esse iniquum aut absurdū, portionum exhereditati potius pertinere ad extraneum, heredem etiam, quam ad fratres naturali & ciuili vinculo coniunctos. Imò naturæ conueniens & consentaneum est, quando testator ita voluit & disposuit, quemadmodum in casu proposito, in quo excluso exheredato, maluit vocare & præferre heredem quam filios, ut apparet ex solutione primi argumenti. Nihil enim magis est 23 naturæ conueniens quam seruare voluntatem defuncti, & ita testatoris de re sua pro arbitrio disponentis, §. Per traditionem. derer. dñis. L. I. Si quis à parente fuerit manumis- sus iuncto §. primum itaq; de hered. & Falciadia in Auth.

Hactenus de his, qui non admittuntur ad partem. Reliquum est vt breui differamus de his qui partim admit- 24 tuntur partim non admittuntur: quales sunt filiae dotatae, quæ vel statuto excluduntur à successione, vt Tolosæ, vel iurata renunciatio ne, iure scilicet, pontificio. C. quam- uis de pactis in 6.

Primò igitur quæsitum est, an filia dotata faciat partem & numerum inter legitimarios fratres? Partem inquam, quo casu accepit dotem minorem quam sit legitima iure debita. Nam si maiorem vel æqualem tulit, nullus locus 25 disputationi relinquitur, puta quod sit supplementum legitimæ, cum nullum sit. Quod omnino non admittatur ad successionem patris intestati, ideoque inter alios legitimarios cā non computata, pro mortua habita triēs aut semis integer ex æquo dividendus erit, secundum Gu- id. Papam q. 396 & 599. Alijs contra: quorum opini- o

genc

augere & partem fratibus facere, hoc est, efficere, ut fratres pro sua tantum parte admittantur, non etiam ad supplementum legitimæ filiæ dotatæ, quod secundum istam opinionem cedit commodo heredis solius, nimirū quod in suum fauorem facta censeatur successionis renūciatio L. Si pactum de probat. quod sufficit ad partem faciendam L. 7. de legatis 2.

26 Ego vero præter alios distinguendum cēsēo: Aut enim filia renunciauit fauore fratrum, & tunc neque partem facit, neq; numerum auget legitimariorum; nimirū quod ad supplémentum legitimæ attinet, quod ad fratres, in quorum fauorem renunciauit, pertineat, Arg. L. i. §. Sitotus C.

27 *de inoff. donat.* aut vero renunciauit in fauorem patris ^{Nota}
tantis, & suorum heredem, quod in dubio præsumitur d.
L. Sipactum. Et hoc easu filia partem facit fratibus, &
numerum auget legitimariorum, idcoq; supplementum
legitimæ ad solum heredem pertinebit, computata
scilicet dote in patrimonio defuncti, & per eam aucto
patrimonio legitima pro rata huius patrimonij consti
tuatur. Nam alias absurdum contingere, sc. filiam ex
eodem patrimonio duas legitimas consequi, vnam, do
tem accipiendo: alteram, per heredem nomine filiæ re
tinentem. Verbi gratia, si legitima filiæ sit mille aureo
rum, & quingenti tātum dari sint pro dote, residui quin
genti. hoc est, supplementum legitimæ ad heredem tan
tum pertinebit, ita tamē, vt illis legitimarijs fratibus filiæ,
legitima cōstituatur, cōputatis in patrimonio quingētis.

Hic tamen animaduertendum est huic disputationi,
hoc est, lucro heredis & fratrum, per quām raro hodie
28 locum fieri, propterea quod receptum est, filiam dotatam
& immodice lāſain, hoc est, supra dimidiū iustæ dotis aut
circiter aduersus dannosam lāſionem & iuratam renun
ciatio-

ciationem restitui oportere arg. L. 2. C. de rescriptis. Inn. c,
Quamuis de pactis in 6. intelligendo ibi dolum, non solum
pro dolo ex proposito, sed etiam de dolo contingente re-
ipsa L. Si quis cum aliter. de verb. ob. Quamobrem, si filia immodice læsa renunciatione sc. & iuramento, resti-
tionis beneficium à principe seculari aduersus damno-
sam illam renunciationem impetraverit, nec non Sa-
cramenti dispensationem à suo Pontifice obtinuerit, ip-
sa per se ad hoc legitimæ supplementum admittitur; se-
cundum Guid. Pap. q. 224. Et ita in foro hodie iudicatur.
Huic ergo disputationi duobus tantum casib. facimus
locum. Prior est quando filia est modicum læsa, quo²⁰
casu cessat omnis restitutio L. Scio dein integ. restit. Alter
est, quandoquidem læsa est immodice filia sed neq; ipsa
neq; posteri eius conqueruntur, arg. l. in iuto de reg. turis.

Rursus de filia dotata minore in dote quam sit legiti-
ma iure communi debita, masculorum fauore statuto ex-
clusa. Verbi gratia Statuto cauetur, extantibus masculis
in certa tantum dote filias succedere: Quæsum est, an
huiusmodi filia partem faciat fratribus; & numerum
legitimiorum augeat. In hac quæstione duplex est op-
pinio, vna Baldi, partem facere fratrib. ideoq; supplementum
legitimæ heredis fore, & non fratrum arg. L. huius-
modi §. Si Titio de leg. 1. hac ratione potissimum; quod filia
dotis nomine & titulo admittatur ad partem. Alia est
Ang. quā fusissimè persequitur conf. 300. numerum qui-
dem augere, ceterum partem nō facere. ideoq; istius sup-
plementum ad fratres solum statuto pertinere arg. L. Pa-
pinanus. §. unde & si quis secundum posteriorem gl. intelle-
ctum de inoff. Vbi tertia pars, in qua minus succedit ne-
pos ex filia accrescit filio defuncti, patruo eiusdem nepo-
tis, cum quo succedit, cum diminutione tertiarum partis §.

Item vetustas §. Diui autem Inst. de heredit. quæ ab intest. defer. L. Si defunctus C. de legit. hered. L. illam C. de collat. Quo fit, ut hac quæstione istud legitimæ supplementum, in quo filia dotata propter statutum minus succedit, fratrum augeat portionem, sicut in d. § unde si quis, tertia illa pars quæ detrahitur ex legitima nepotis ex filia, accrescit patruo suo fauore agnationis L. i. §. pen. de ventre in pos. mitendo. Nam quod in fauorem alicuius detrahitur, ei ad dicendum cuius fauore fit detractio L. i. L. Si totas C. de inoff. donat. Causa autem intellectus Accursij ad pref. §.. unde si quis, ea est, quod alio casu filius olim non potuit habere sextantem pro legitima, nisi quando succedit cum nepote, aut nepte ex filia. Nam si vnicus est filius, habet quadrantem, si vero duo fratres essent, qnilibet habet vnciam cum dimidia. Si autem tres, singulorum legitimæ vncia est; si quatuor, aut quinque longe minor. Solus ergo ille casus est, in quo legitima filij est sextans, quando succedit cum nepote ex filia: nam tunc habet vnciam cum dimidia ex persona sua, & dimidiatam vnciam, quæ est tertia pars legitimæ nepotis, iure accrescendi, in qua minus ille nepos succedit d. §. Item vetustas v. Diui autem principes. Inst. de heredit. quæ ab intest. defer. secundum Acc. in d. L. Papinianus §. unde si quis in verb. deberetur. De inoff. test.

32 Ad extremum hîc dubitatur; an sicut filia læsa, aduersus renunciationem & iuramentum restituitur, vt paulo ante diximus, eadem quoque ratione læsa contra receptum statutum & legem municipalem restituatur.

33 In hac quæstione ita puto distinguendum: Aut enim statuto definitur certa dotis quantitas, & tunc aduersus statutum nullus locus est querelæ, prouocationi aut restitutioni, L. aliud est fraus. iuncta L. Si qua pena de verb. sig. C: Erit

Erit autem lex, iuncto seq. Nec mirum, cum Statuto nem-
dum minui, sed etiam tolli possit legitima, secundum
Dynum in c. Indultum de Reg. iuris in 6. Quamobrem si
statuto definiatur certa dotis quantitas, & pater relique-
rit aut constituerit filiae totam aut integrum dotem, se-
cundum statutum constituisse & reliquise videbitur, vt
pater nulla iniuria afficiat filiam, & ideo etiam aduersus
patrem cessat restitutio, quia executio iuris seu statuti nul-
lam continet iniuriam. *L. iniuriarum. de iniurijs.* Aut ve-
ro statutum non definiuit certam dotis quantitatem, sed
indistincte ita cauit: Dotatam filiam à patre nullum re-
gressum habere ad bona paterna. Vel etiam extantibus
masculis, in dote filiam tantum successuram. Et isto ca-
su existimo filiam in dotis constitutione læsam restitui
oportere, non quidem aduersus statutum, sed aduersus
patrem dotem incongruam constituentem, inquam,
contra mentem statuti, quod benige interpretandum est,
de congrua dote scilicet *L. Benignus de leg. arg. L. 4. §.*
condemnat de re iudic. L. Non putavit §. Non quæuis
de bon. pos. cont. tab. L. Capienda de reg. iuris.

C A P V T XIII.

D E S V P P L E M E N T O
legitimæ.*Synopsis.*

1. *Quæstio, qua duabus regulis declaratur.*
2. *Prior 3. Posterior.*
4. *Sufficit in parte aliqua legitimæ heredem institutum esse, vt à querela excludatur.*
5. *Querela inofficiose, defuncti testatoris dementiam arguit.*

6. *Testator integrum legitimam reliquissse consetur.*
7. *Quibus detur ius agendi ad supplementum legitime: & an pa-
ter actionem seu conditionem, qua petitur, prohibere possit?*
8. *Pater legitimam nec diminuere, nec in totum tollere potest.*
9. *Verum an statu legitima vel colli vel minui queat? dubia-
tatur.*
10. *Minni & augeri eam posse Comm. Dd. volunt.*
11. *Atramen de eo contendunt, an in totum tolli possit.*
12. *Rationes quibus adfirmatur.*
13. *Et quibus negatur.*
14. *Legitima surrogatur alimentis.*
15. *Surrogatum sapit eius, cui surrogatur, naturam.*
16. *Negativa opinio cum verior; ideo affirmativa reicitur.*
17. *Qua ratione legitima ad ius ciuale, & quo respectu ad ius na-
turale referatur.*
18. *Interdum ex ista causa & in certis casibus legitima in totum
telli potest.*

I N summa ex superioribus satis perspicuum est, quibus debeatur legitima & quibus non capientium portiones accescant. Quamo-
brem proximum est, ut quæramus, an inte-
grum ex necessitate relinquiri oporteat, etsi minus fuerit
legitima relictum, testamentum querelæ subiaceat. Hæc
quæstio duabus continetur regulis.

- 2 Prior est iuris antiqui, integrum relinquiri oportere:
alioquin testamētum per inoffic. si querelam expugna-
bitur; quo fieri, vt filius ille, cui minus legitima relictum
est, ab intestato patri succedat L. Papin. §. Si quis mortis
cum §. seq. de inoffic. L. Cum queritur L. Parentibus C. cod.
Vnus tamen casus excipitur, quando scilicet filio volenti



& consentienti aliquid prærogatur nomine legitimæ eo animo eaq; contemplatione, vt cedat in quartā. Quo casu iure etiā antiquo cessat querela, & agitur ad supplementum duntaxat d. §. Si non mortis, de inoff. Cessat ergo in specie huius legis querela, quod scienti & volenti fuit prærogata legitimæ potestio. Qua ratione cessat querela, quod cesset iniuria, qua est causa, querelæ L. Papinianus in prin. 3 de inoff. L. i. de intur. Vbi volenti non fit iniuria.

Posterior regula est iurius noni ; sufficere, quippiam pro legitima relinqui, vt à querela ominò excludatur filius vel filia, & agat ad supplementum duntaxat L. Omnimodo C. de inoff.

Nec obstat huic nouæ constitutoni L. 2. &c. 3. de inoff. L. Libertus potrono de leg. 3. L. Papinianus §. Si quis mortis cū 4. seqq. de iroff. Vbi quoties minus legitima relinquitur, locus est querelæ, qua ideo conceditur, quia quasi furiosi testamentum creditur. Ergo perperam Iustinianus hodie contendit sustinere istud testamentum, in quo minus relinquitur, cum censeatur quasi à demente factum & ideo aut irritum, aut per querelam irritandum §. Praeterea, quib. non est perm. fac. testam. Nam huic obiectioni occursum est, si dixeris, rationem antiquæ legis cessare propterea, quod testator conscient nouæ constitutionis integrum legitimam reliquisse censetur, quia qui actionem habet ad eam integrandam, integrum habere censetur. Quo sit, vt cesset illa ratio præsumpti furoris.

Inspecta enim ratione petendi supplementum, nihil videbitur defunctus deminuisse, quamuis re ipsa ex scripto integrum non reliquerit. Quippiam autem pro legitima relinqui sufficere hodie diximus per L. Omnimodo C. de inoff. adeò, vt latet sit filium in quinque asses

aut

aut 12. Imperiales institui, secundum *Accurs.* quem alijs com-
muniter sequuntur in L. denique §. Sed utrum, in verb. patri-
monium. de minorib. 25.

Hic tamē obiter animaduertendum est, nuper ab hinc
decem annis solenni Senatus decreto, id est, arresto gene-
rali, expugnatū fuisse testamentum, in quo pater filium
in 50. aureos instituerat, cum tamen eius legitima esset
500. Qua ratione necessarium erit, filium in legitimam
aut circiter instituendū esse, adeo, vt si multo minus legitima
fuerit relictum, censeatur pater contra officium te-
status, alicuius puta delinimentis vel nouercalibus corru-
ptus L. 2. de inoff. L. 4. eod. ff.

Datur autem illud ius agendi ad supplementum, ne-
dum filijs, sed etiam parentibus, nec non fratribus, turpi
scilicet persona instituta, secundum *Accurs.* in d. L. *Omnimo-
do.* verb. & alijs personis, vnde si filius patri minus legitima
reliquerit, aut frater fratri, non agat pater aut frater que-
rela, sed ad supplementum legitimæ duntaxat.

Rursus hæc condicō siue actio ad supplementum filijs
& alijs legitimarijs competit, etiamsi testator v. g. pater
prohibuerit amplius peti quām quod relictum est, imò
etiamsi expresse voluerit intestatus minori, si amplius petatur,
§. *Hac autem disposuimus vers veterum.* ut cum de appell.
cog. in *Auth.* Ista igitur verba tanquam contra leges dispo-
sita rejiciuntur L. *Nemo potest de leg. 1.* vel ideo, quia indul-
tum à lege beneficium nemini est auferendum c. *Indultum*
de reg. iur. in 6. Ergo cum legitima ex legis prouidentia,
non ex patris liberalitate debeatur L. *Si arrogator de adopt.*
§. *Primum itaq.* *De hered.* & *Falc.* non licebit patri alienæ li-
bertati legem dicere. Pater ergo legitimam diminuere
non potest, multo minus in totum tollere.

Sed an statuētes eandem vel tollere vel diminuere pos-
sint,

ssint, ambigitur? De hac quæstione partim consentiunt,
 partim dissentiunt auctores. Consentiunt autem. Nam
 inter omnes conuenit statuto legitimam augeri vel diminui posse. Primo quia ista est conditio iuris ciuilis, & sic
 statutorum, ut nec in totum recedat à iure naturali, neque
 totum illud sequatur L. ius ciuile, L. omnes populi de iust. &
 iure. Secundo, quia ab initio ante ius ciuile, tota pannis suc-
 cessio, filiorum erat legitima L. Cum rato. de bon. dann.
 Quam tamen legislatores post ius ciuile institutum, aliquā
 do quadrante, aliquando triente & semisse, & hoc nouis-
 simē definierunt. Auth. nonissima C. de inoff. §. 1. de tr. iun-
 eta L. Papin. §. Quarta §. Cum quarta, de inoff. L. Cum que-
 ritur L. parentib. C. cod. Ergo diminui & augeri poterit alio
 iure ciuili, hoc est, ab statuentibus, quia iure Romanorum
 diminutam & postea auctā legimus. Tertio id ipsum pro-
 batur argumēto à Simili. Nam etsi decima tolli omnino
 non possit quod sit iuris diuini & naturalis d. §. Sed
 cum naturalia. de iure natur. iuncto e. Tua. de decim. diminui
 tamen potest consuetudine. Hoc est, tacito ciuium con-
 sensu in aliquibus, C. Sui. ext. de decimis. Ergo & expresso.
 Dissentient: Nam quidam in totum tolli posse credide
 rūt, tum, quia nihil magis conueniens est iuri naturali,
 quam voluntatem domini rem suam in aliū transferre
 revolentis, ratam haberi L. 2. Si quis à par. fuerit man. §. Per
 traditionem Inst. de rer. diuis. Tum quia remedia propter
 legitimam introducta, quale est querela in offici. Test. ius
 dicendi nullum, bonorum possessio contra tabulas, actio
 expletoria, siue ius agendi ad supplementum sunt iuris
 ciuilis L. Ex duobus §. fin. iuncta gl. de vulg. L. Si filius qui in
 potestate L. inter cetera de liber. Et post §. 1. de pat. potest. L. r.
 de bon. pos. contra tab. L. Omni modo C. de inoff. Ergo à iure
 ciuili & ita à statuto, quod est ius ciuile L. Omnes populi de
 iust.

iust. & iure, tolli poterit §. Sed naturalia. Inst. de iure natur.
 §. fin. de legit. agn. tutela. Nam sublato medio extremū
 tolli necesse est & impediri L. Marcianus de acquir. rer.
 dom. Tum etiam, quia legitima est iuris Ciuilis, à quo
 in primis nomen habet legitima Authent. Res qua C.
 Com. delegat. L. Quæ nuper C. de inoffic. test. Imò ab eo quo-
 que iure relinquendi necessitas & imperium profici-
 tur §. Primum itaque : de hered. & Falc. habet & ab eo quā-
 titatis defunctionem §. 1. de trient. & sem. Tum deniq;
 quia dominia à iure gentium & ciuili distincta fuerunt,
 L. Ex hoc iure. de iust. & iure §. fin. de usu & habitat L. 1. de
 usucap. Ergo cum nulla dominia fuerint distincta iure
 naturali, ad illud ius referri non debet legitima, propterea
 quod nec pater nec alius quispiam proprium tūc aliquid
 habebat. Ergo legitimam non debebat filijs iure natu-
 rali. Quo fit ut per statutū radicitus tolli possit, quia
 naturæ ius non refragatur. Alij vero contra censuerūt,
 13 legitimam omnino tolli nō posse, sed ex parte duntaxat,
 & diminui. Quæ opinio frequentior est & communiter
 recepta secundum Iasonem in d. Auth. Nouissima nupp. 56. A-
 lex. Conf. 75 in 1. vol. Alberic. in L. Quoniam in prioribus C.
 de inoff. Notat Dynus in c. Indultum de reg. iur. in 6. Huius
 ergo opinionis primum fundamentum petitur ex §. 1. de
 tr. & sem. §. Primum itaque de hered. & Falc. L. fin. C. eod. l.
 Cum ratio, de bon. damnat. Vbi legitima debetur iure na-
 turæ, ergo in totum tolli non potest, L. iura sanguinis, de
 dereg. iur. L. Ius agnationis de pactis §. sed naturalia Inst. de
 iure natur. Quibus suffragatur, quod inferior hominis
 constitutio & ita lex posterior non possit tollere illas su-
 periores, hoc est, naturæ, siue vim à Deo ab initio insi-
 tam c. Cura inferior, de maior, & obedient. L. Nam ad in-
 gratias, de recepts, arbit.

Alterum

Alterum est legitimam ideo non posse tolli quod subrogetur loco alimentorum L. Quisquis §. Ad filias C. Ad 14
L. Iul. maiest. ponderando verbum alimonie, §. 1. de tr. & sem:
iuncto §. 1. de iure natur. Vbi alimenta iuri naturali adscri- 15
buntur, ita ut omnino tolli nequeat d. § sed naturalia. Er-
go neq; legitima. Quia quod subrogatur, sapit naturam
eius, in cuius locura subrogatur, § fuerat, de act. L. Si enim
Qui iniuriarum: si quis caut.

Tertium est, quia indultum à lege beneficium nemini est auferendum c. indultum de reg. iuris in b.

Quartum & ultimum de promitur ex conditione juris
ciuilis, quæ est eiusmodi, ut neq; in totum recedat à iure
naturali neq; in totu*ei* seruiat. L. ius. ciuale de iust. & iure.

Hanc opinionem si sustinere contendas tanquam ve- 16
riorem & receptionem, nihil Oberunt fundamenta præ-
cedentis opinionis. Nam in primis ad primum occurrit,
liberam quidem esse rerum suarum dispositionem,
contrahendo scilicet, non testando L. inter cetera, delib. &
post §. Primum itaq; de hered. & Falc. Vel etiam aliter,
Axioma eius §. per traditionem intelligendum esse de per-
sonis, quæ liberos non habent. Nos autem hic loquimur
de habentibus, in quibus sese offert aliud contratrarium
iuris naturalis Axioma, puta. Totam parentum succe-
sionem liberis addictā esse L. fin. de bon. damn. Quæ duo-
rum Axiomatum pugna, occasio fuit coustituendi & de-
finiendi legitimam vsq; ad certam quantitatem, ut extra
eam libera subsisteret disponendi ratio, sicut latius supra
ad punctum diximus, ciuilia quidem remedia iure ciuili
tolli, & ita legitimam quoq; ciuilem, hoc est, à iure ciuili
descriptam & definitam. Ceterum in quantum de-
betur iure naturali, & ita instinctu & iusu naturæ per

ius ciuile tolli non potest: semper enim æquum & bonum erit legitimam & alimenta filijs deberi & præstari oportere.

Ad secundum & tertium ex præcedenti quoque satis 17 occursum est, non esse absurdum, ut eadem legitima diuerso iure censeatur L. Papinianus §. Sed nec impuberis de inoff. Quare fateor legitimam esse iuris Ciuilis, quoad taxationem, & quantitatem, nec non quoad præstandi necessitatem; sed iuris quoq; naturalis est alio respectu, puta quoad instinctum & iussum naturæ. Naturâ enim iubentur parentes curam liberorum habere, & ita alimēta & legitimam, hoc est, secundum leges, naturalem portionem relinquere §. 1. Auth. de tr. & sem. iuncta L. 1. de port. qua filijs damn. debetur.

Postremò & ultimo varie satisfactum est. Primo ius gentium pro naturali accipi §. 1. §. Singulorum de rer. diuis. & secundum Euangelicam veritatem dominia esse instituta à iure naturali. Præterea, dominia quidem esse iuris gentium, quoad distinctionem d. L. hoc iure; sed ea pro indiuiso & in communione extitisse iure etiā naturali, quā ratione pro indiuiso debetur iure naturæ, iure autem gentium aut ciuili distincta. Deniq; iuris naturalis est ea quidem sine cōtrouersia quoad materiam & rudem quandā formam iuris. Ergo ciuili est quoad formam exactam & distinctam, quo sit, vt quia est iuris naturalis omnino tolli non possit, obstante naturali impedimento. Hic tamen ignorandum non est, interdum ex iusta cauſa & in certis casibus, hoc efficientibus personis, in totum legitimam tolli posse, §. Exheredatos de hered. & Falc. §. Cauffas, vt cum de apprehēc. L. Quisquis §. 1. Ad L. Iut. maiestat. ubi filius ingratus aut proditoris filius priuatur omni legitima. Sed istis casibus aut similibus ius naturale aut legitima in uniuersum.

uersum aut in persona omnium indistinctè non dicitur tolli, sed magis distingui & interpretationem recipere d.
L. ius ciuile iuncta gl. de iust. & iure L. fin. iuncta gl. C. Si contra ius ad utilitatem publicam.

CAPVT XIII.

I.

NON CONDITIONE ALIQUA, NON MORA
non dilatione, non legatis, non fideicommissis, nec alio modo quoquis legitima grauari potest.

II.

Quid si legitima sit onerata conditione casuali aut poststatiua?

RVRsus quæritur, an eadem legitima fideicommissio, substitutione, cōditione, modo, dilatione, aut alio quoquis iure prægruari possit. Huic quæstiōni respondebis nec olim I onerate licuisse, nec hodie licere; quia quem non honoro, grauare non possum L. ab eo C. de fideicommiss. Ergo cō legitimam bene ficio legis, & non patris, filius consequatur, onus paternum nō subibit, L. si arrogator, de adopt. L. unum ex familia §. 1. de leg. 2. §. Primum itaque de hered. & Falc. Verum iure veteri onere apposito competebat quærela ad subuertendum testamentū L. Quoniam in prioribus C. de inoff. L. Statu §. Qui rogatus, ad Trebell. L. Si puella L. filij matrem L. ex tribus arg. sumpto à speciali C. de inoffic. Nouo autem iure cessat querela, quod conditio, dies, substitutio, fideicommissum reliquaque onera ipso iure reijciantur & pro non adiectis habeantur, idque sanore te-

stamenti L. Quoniam in prioribus L. Scimus L. Cum autem C. de inoff.

Quid si conditio vel grauamen filij potissimum respiciat fauorem? Nihil minus responda est conditio. l. 32. Eod. Auth. ut mat. vel au. c. 1. Gomes. 1. resol. 11. nu. 27. Soar. in thes. lit. l. 86. vbi vide dissentientes. nu. 85. Thom. Ferrar. Caus. 35. num. 25.

³² Quid filius appositum legitimæ grauamen acceptarit? Frustra si velit illud detrectare. laborabit. l. 36. §. & generaliter. C. Cuch. de inoff. tr. q. legit. null. grau. num. 35. Co- uarr. d. e. Raynulius §. 12 num. 2. & seqq.

Superioribus tamen vtriusque regulis refragati vide- tur L. vxori, de usufr. leg. Vbi filio instituto totus vsusfructus matri relinquitur, ergo legitima prægraauatur detrac- tionē vsusfructus. Satisfacies tamen, si dixeris proprie- tamet totorum bonorum longe ampliorem esse legitima. Ceterum ea lex quoad viuum fructum legitimæ atti- Notable net, hodie corrigitur per Auth. nouissima C. de inoff.

Secundo obstat L. Cum patronus: de leg. 2. Vbi substitu- tus patroni tenetur præstare onus appositum legitimæ patroni. Huic respondebis onus reiici à legitima solius patroni aut filij fauore, non etiam substi tuti & sic alterius personæ, quia priuilegium personale, personam non transgreditur. L. Priuilegium deregitur. L. Quia tale sol. matr.

Tertio obstat L. Si Tisio 95. §. fin. de leg. 1. Vbi etiam le- gitime onere fideicommissi prægraauatur. Sed huic quo- que satisfit, sicut præcedentibus, onus quidem subire in persona substituti, & succendentis ab intestato, quod be- neficium personale sit, & personam non egrediatur L. Quia tale sol. matr.

Quar-

Quarto. *L. Cum postumus de liberis & post. vbi conditio apposita in institutione postumi, & ita in legitima, non parit querelam, nec testamentum ipso iure rumpit. Huic ex ea lege respondebis, conditionem ibi exitisse nondum nato postumo, quamobrem non censetur onerosa sibi esse postea nato, vnde nihil prorsus effecit, alias testamentum rumpetur, L. Postumo. cod.*

Quinto *L. Si pater puella, l. filii matrem. l. Si ex tribus C. de inoffic. Vbi fideicommissum, conditio, substitutio à legitima non rejiciuntur. Huic occurritur, in d. L. Si pater, fideicommissum, nihil fuisse onerosum, ideo quod esset mutuum, arg. L. Quod autem h. Si vir de donat. vbi mutua donatio est quasi quedam permutatio, & compensatio; quocirca contra strictas iuris communis regulas, inter virum & vxorem sustinetur. arg. L. de fideicommisso C. de transact. Glossa tamen Bartolus & ceteri interpretes in ea sunt sententia, ut putent d. L. Si pater puella, corrigi per d. L. Quoniam in prioribus, ideoque legitimam usque ad fideicommissi onus etiam mutui rejici ipso iure.*

In lege vero, filiis, conditionem non esse onerosam, de qua nos loquimur, sed appositam in favorem filij, ne si pater filium retineat in potestate & sic acquirat hereditatem matris, eam decoquat & dilapidet arg. *L. Imperator ad Trebell. & L. multi. de lib. & post.*

In lege denig ex tribus, pupillaris illa substitutio non est onerosa, & ideo non rejicitur; imò per eam pater filio consulit, faciendo sibi heredem, vt moriatur testatus L. 2. L. Patri de vulg. §. 1. Inst. de pupillari. iuncta. L. Et quis de inter act. Qua ratione receptum est secundū Castrensem in hac L. Quoniam in prioribus, vulgarē substituinoem

tutionem etiam in legitima factam iurē pobari & sustineri, *L. iam dubitari. de hered. Inst.*

Sexto *L. Quoniam nouella C. de inoffic.* Vbi onus imputationis non reiicitur à legitima nedum dotis & donationis propter nuptias, sed neque alterius cuiusque emolumenti, quod ad legem imputationis pertinere possit, *L. Omnimodo §. imputari C. Eod.* Huic satisfaciendum est ex ea *L. Quoniam in prioribus, ponderando verb. minutatur* vnde colligitur onera ea reiici à legitima quæ ipsam minnuunt, & extrinseca onera, non etiam intrinseca & quæ legitimam non diminuunt, qualis est imputatio, quæ ad legitimam integrandam potius spectat, adeò ut onus dici non possit.

Postremo *L. Si pater C. de Inst. sub conditione.* Vbi conditio casualis aut mixta non reiicitur: Imo per eam testa-
2 mentū inficitur & ipso iure rumpitur. Huic varie satisfieri potest. Primo *L. Quoniam in prioribus esse interpretandā de cōditione potestatiua, quæ apposita institutionē vitiat, L. Suis quoq. §. 1. de hered. inst. licet hodie conditio reiiciatur ad legitimam usque, non etiam casualis & mixta.* Propterea quod *L. Omnimodo ad L. Quoniam* refertur, & eius est appendix, non habet locum quando filius est præteritus, & ita quando est institutus sub conditione casuali aut mixta, quia sub contraria conditione, filius semper est præteritus, nisi sit expresse exheredatus. d. *L. Si pater innētā gl.* Alij quorum sententia receptior est. *L. Quoniam in prioribus* intelligunt etiam in conditione casuali aut mixta, quia loquitur simpliciter, & indefinite de conditione, ergo de omni indistinctè intelligi debet, potestatiua scil. casuali aut mixta. Nec obstat *L. Omnimodo C. eod.* Nam illa debet intelligi de plena & absoluta præteritione, vnde locus est. *L. Quoniam in prioribus* & ita conditiones

ditiones reiiciuntur usque ad legitimam, non supra L.
Scimus §. Cum autem, C. de inoff.

C A P V T XV.

EX QVIBVS REBVS DEBEATVR:
vel in quibus rebus relinquenda, aut ex
quibus sit deducenda legitima.

Synopsis.

1. Ex substantia bonorum defuncti legitima est deducenda.
2. Legitima non est relinquenda in re, que est à communi hominum commercio exempta.
3. Ex singulis rebus hereditariis debetur legitima.
4. Verbo, vindicare, innuitur ipso iure dominium acquiriri in rebus singulis.
5. Non licet heredi pro arbitrio in una re legitimam constituere.
6. Aliud est legitimam deberi ex singulis rebus pro rata, & aliud in una re solvi posse.
7. Legitima non potest relinquendi filio in pecunia numerata.
8. Nisi filius mercator sit.
9. Si legitima in pecunia fuerit relicta, supplementum eius etiam in pecunia fieri debet, non corporibus hereditariis.
10. Num si pater filiam in certa pecunia quantitate, qua legitimam representat, eoque fine relicta est, instituerit, filia relicta patris voluntate legitimam in corporibus hereditariis petere possit.
11. A separatis non est mutua & bona consequentia.
12. Tria debet pater filio, alimenta, dotem & legitimam.
13. In testatoris arbitrio est an in una vel pluribus rebus falcidiam constitnere velit.
14. Ex individuis quarta per estimationem conficitur.
15. Ex magis communi opinione, onus supplendi legitimam adfolum heredem spectat.



AD

AD hæc in dubium reuocari solet. Ex quibus rebus debeatur legitima, in quibus relinquenda sit, & ex quibus suppleatur. Hæc quæstionem diluit ex professo Iustinianus *in l. scimus C. de inoff.* Ex substantia bonorum defuncti, legitimam deberi & suppleri, hoc est, ex patrimonio defuncti & corporibus rerum hereditatarum. Vnde si parens filium instituat, & pro legitima rem, quæ sit propria filio, puta ex bonis maternis relinquat, testamētum nullius est momenti, eo quod filius habeatur pro præterito arg. *l. pri- prias C. de legatis.* secundum Bart. *in l. Suus quoque in pr. de hered. inst.* Idem est, si relinquat, quod in rerum natura non est, aut cuius negatur commercium, aut tempore quidem Testamenti extat, sed tempore mortis esse desist, arg. *l. Idem 41. §. fin. de leg. 1. secundum Bart. Castr. & reliquias in d. l. Scimus.* Certum tamen est constare testamentum in quo res aliena filio relinquitur, siue pater ignoraverit, *d. l. Scimus in pr. vbi fundo legitimario euicto agitur ad supplementum, neq; opus est querela ad subuentendum testamentum, siue intellexerit rem esse alienam, quod estimationem reliquise censeatur l. cum rem alienam C. de leg. iuncta l. idem Julianus 41. de leg. 1.*

Sed rursus quæritur, an ex singulis corporibus rerum hereditatarum debetur legitima, & utrum ex singulis pro rata solui debeat. Hic quoque inter omnes conuenit ex singulis rebus legitimam deberi *l. 2. in verb. vindicando.* Quibus & quando quarta pars debeatur lib. *X. C. L. Liber-* *tus qui soluendo non est, ponderando verb. quod modicum vin-* *dicaturus est. de bon. libert. verbo enim vindicare innuitur ipso iure dominium acquiri in rebus singulis.* Cui acce-*dit §. 1. de tr. & sem.* *vbi legitima nihil aliud est quam*

triens

triens aut semis totius patrimonij pro indiuiso, & ita rem singulatum, ex quibus consistit patrimonium. *arg.*
l. Lineam ad l. Falc. vnde si pater filio pro legitima pecuniam reliquerit, liberum est filio, pecuniā omīlsā petere legitimam sibi in rebus & corporibus hereditarijs assignari
d.l. Scimus §. Repletionem, de inoff. Adeo, vt non liceat heredi pro arbitrio in vna re legitimam constituere, quod sua interesset potius in rebus singulis, aut in alijs constitui
d.l. Libertus. de bon. libert. L. Lex qua tutores C. de administ.
Tut. l. Si in emptione de minor 25. an.

Superioribus tamen refragatur *d.l. Scimus*, vbi ex arbitrio patris pēdere videtur, vt in vna re legitima præstetur. *iuncto §. Repletionem circa finem prin.* vbi tunc repletioni locus est, si fundus legitimarius pro parte euictus sit. Ergo si nulla ex parte euincatur & ex eo integra constet legitima, non est opus repletione, sed omnino satisfactum est filio.

Secundo obstat quoque *eadem lex in verb. vel alias res vel pecuniam restitui.* Quibus verbis, quia alternatiua sunt, electio heredi concessa videtur, vel vnam rem hereditariam, vel pecunias filio legitimario pro arbitrio tradere. *L. plerunque de iure dot. circa finem.*

Tertio obstat *l. 2. C. Quib. Et quando quartapars deb. lib. X.* vbi si legitimarius petit ex rebus singulis legitimam pro rata, non est audiendus, ergo falsum est, quod paulo ante diximus, legitimam ex singulis rebus hereditarijs deberi. Nam alioquin aliud pro alio solueretur, *contral. 2. §. 1. Si cert. pet.*

His tribus obiectionib. uno collyrio medēdū est. Aliud esse legitimā deberi ex singulis reb. pro rata: aliud in una re solui posse. Nā sumo iure sc. & stricto, legitima ex singu

Iis corporibus pro rata debetur, d. l. libertus, de bon. libert.
Nota ex aequo tamen & bono in vna re soluitur, si hereditaria corpora commodam diuisionem non patiantur, d. l. 2. Quib. & quando iuncta l. Nō amplius l. fin. cum l. seq. deleg. 1. §. pen. Inst. de off. iud. vel ideo maxime, quia malitijs hominum non est indulgendum. l. infundo, de rei vind. quod vt apertius doceani, sequentes subijcio regulas.

Quarum prima est. Summo & stricto iure legitimam ex singulis corporibus hereditariis deberi d. l. libertus.

Altera: Nō esse in arbitrio legitimarij, vt rem vnam vel alteram eligat, quod ex omnibus debeatur. Nec rursus à legitimarij arbitrio pendeat, vt ex singulis rébus inuito herede eam sibi vindicet, nimirum si heredis intersit propter incommodam diuisionem d. l. 2. C. quibus & quādo. l. Non amplius §. fin. de leg. 1.

Nec obstat l. creditoris arbitrio, de distract. pig. vbi creditor hypothecarius eligit pignus, quod sibi malit, ergo & filiorum erit electio, vt hanc vel illam rem pro legitima consequantur, eo quod creditores in legitima sibi debitia censemantur l. fin. C. de Codicil. §. 1. de tr. & sem. imò hypothecarij l. quoties de hered. inst. iuncta l. 1. C. Com. de leg. Nam verum quidem est creditore electionem habere, quoad exactiōnem, sed non quoad solutionem. Et exactiōnem; non vt in solidum accipiat pignus inuito debitore, eodemq; soluere parato. Nam solutione liberabitur pignus aut hypotheca ab electione creditoris, l. soluitur §. fin. de perpet. & tempor. act.

Tertia regula est. Inuito filio aut alio legitimario, heres non potest hanc aut illam pro arbitrio soluere, quod ex singulis debeatur. Imò neq; in singulis eam soluere potest inuito legitimario, puta, si sua interessē contendat legitimariiis propter incommodam diuisionem, d. l. non amplius §. fin.

Nec

Nec obstat d. l. scimus v. vel aliam rem vel pecuniam. vbi heredis videtur esse electio, nam textus ibi loquitur de alternativa legis impersonaliter concepta: quo casu iudicis est arbitraria electio, propterea quod is est executor legis & ita alternatiuorum is quasi elector, l. 2. §. Post originem. De orig. iur. Qua ratione tollitur L. Plerung. de iure dot. quæ loquitur de alternatio contrahentium.

Nec rursus obstat l. Non amplius §. fin. d. leg. 1. vbi parte bonorum legata heredis est electio, an æstimationem præstare malit. Nam ibi agitur de legitima quæ specialiter debetur ex singulis corporibus hereditarijs, ut paulo ante diximus, imo magis debetur & fauorabilior est quam legatum.

Quarta Regula, pater legitimam constituere potest vel in vna re, vel in pluribus pro arbitrio in qualitate sc. & quantitate, id est, dummodo meliorem & non deteriorem relinquit, §. 1. de tr. & sem. §. Hac autem. vers. ceterum ut cum de appell. cog. l. Scimus C. de in offic. idque quod lex maxime confidat patri l. fin. C. de Curat. fur. Tum etiam quod pater in diuisione bonorum suorum officium iudicis assumere possit, & iudicem præuenire, l. si cogitatione C. fam. ercisc. Receptum tamen est, in pecunia legitimam patrem non posse relinquere, non tantum vulgari illa ratione, quod ex substantia patris debeatur legitima. Nam pecunia de substantia patris esse videtur: Sed quod pecunia faciliter consumitur, vnde eiusmodi pecuniæ constitutio legitimario damnosa esse videtur. arg. t. tit. Ad s. C. Macedon. nisi filius forte Mercator sit, cuius interest in 8. pecunia sibi legitimam relinquere negotiationis causa.

Quinta Regula. Legitimam arbitrio iudicis in vna re vel in pluribus, vt æquitas suaferit, adiudicari l. potest iuncta 9. gl. de leg. 1. Arbitrio inquam non libero sed boni viri, & iu-

dicis, hoc est, ius dicentis *l. i. de iuris d. omn. iud.* id est, arbitrio iudicis, secundum iuris regulas effecto, hoc est, ad legem regulato. Qua ratione si iudex in pecunia legitimam constituerit, quia arbitrium iniquum & extra iuris regulas versatur, iusta est prouocatio, secundum *Fran-Rip. in l. in quartam num. 133.* Ad definitionem ergo & arbitrium iudicis, primò pertinebit obseruare, an filius & heres consentiant *l. si conuenerit, de re iudic. l.* potest de *leg. i.* Secundò voluntatis paternæ vestigia & coniecturas imitabitur. *l. Filij C. Fam. ercisc.* an integrum filio in eo fundo assignauit. Credidit enim legislator voluntatem patris, qui superstes adhuc filio fūdum in peculio dederit, post mortem eandem fuisse, vt in eo fundo tota etiam legitima constituaretur: puta quia prædilexerat filium in eo fundo, in eo quoque post mortem voluisse præferri. Tertio obseruabit idem iudex conditionem rerum, an diuiduæ an indiuiduæ sint, an videlicet commode diuidi possint, an contrād. *l. Non amplius §. fin. de leg. i. §. pen. de offic. Ind. Inst.*

Nec obstat quod legitima ex singulis rebus pro rata debeatur, ergo in singulis adiudicanda. Nam non adiudicabitur, secundum formulas iuris. Nam aliud est legitimam summo & stricto iure, ex singulis rebus deberi; aliud vero in vna re ex bono & æquo totam solui *d. l. 2. Quibus & quando quarta pars, idq; ne malitijs hominum indulgeamus l. in fundo, de rei vindic.* maximè in bonæ fidei iudicijs, quale est iudicium familiæ ercisc. *§. actionū de actionibus, quod etiā pro legitima decernitur l. 2. §. si quarta. Fam. ercisc.* in quibus bonæ fidei iudicijs nō curatur de apicibus iuris, *l. si fidei iussor §. quedam, Mand.*

Minus obstat. *l. 2. C. quando & quib. quarta,* vbi legitima conficitur arbitrio sortis & fortunæ, non hominis

&

& iudicis. Nam intelligendus est ille tex. quando controve
uersia est inter heredem & legatarium extra iudicium, vel
in iudicio quidem, sed ex arbitrio iudicis, sorti & fortuna
committitur adiudicandum.

Hic quæsitum est, si pater filiæ aut filio legitimam in
pecunia reliquerit, & vterq; pecunia relictum acceperit,
& agnouerit, an postea si locus sit supplémento, iudex pos-
sit replere legitimam in pecunia, an magis in corporibus
hereditarijs sit supplenda, secundum i. scimus §. repletionē
C. de inoff. Hic frequentius receptum est, legitimæ supple-
mentum in pecunia fieri oportere, & non in corporibus
hereditarijs, quod legitimarij relictam pecuniam acci-
piendo & agnoscendo, videatur tacite renunciasse supple-
mento faciendo in corporibus hereditarijs, arg. Auth. sed
cum testator C. ad l. Falc. & l. cum fideiussor C. de non numera-
taper. vbi ex solutione partis mutui non accepti, soluens
priuatur exceptione non numerata pecunię pro parte nō
soluta. secundum Fran. . Ripam in l. in quartam num. 113.

Rursus quæritur si pater filiæ inter viuos dotem cōsti-
tuerit, & eo mortuo, ea parata sit dotem restituere here-
di, vt legitimam in corporibus hereditarijs consequatur,
an iusta ista sit corporum vindicatio? In hac quæstione
quidam idem censem quod in superiore. Nobis tamen
aliter videtur, quod in præcedēti casu, filia pecuniam ac-
ceperat pro legitima nominatim, vnde facilius inducitur
& extenditur renunciatio ad supplementū eiusdem legi-
time. In isto vero casu pecuniam accipiebat filia pro dote,
quare inepta videtur extensio ad legitimā, nedum ad sup-
plementū: quia à separatis non est mutua & bona conse-
quentia. L. Papinianus exuli, de minor. l. fin. de caium. Dos
enim & legitima seperata sunt, quandoquidem tria sunt,
quæ pater debet filio: alimēta, quæcum primū natus est fi
lius

lius, sibi debentur : dos, quæ statim post nubiles annos
l. Qui liberos, deritu nupt. l. fin. C. de dot. prin. & legitima,
 quæ demū post mortem filijs debetur. Vnde cum diuersa
 sunt, inepta videtur aut saltem non necessaria consequē-
 tia, nisi forte vno casu, quando filia dotata renunciauit
 ut accidere solet, legitimæ & successioni paternæ. Nam
 tunc cum pro legitima dotem accipiat, locus erit rationi
 præcedentis quæstionis.

Sed ab hac hypothesi, quādō nominatim accepit pecu-
 niā pro legitima, nec non à præcedentis quæstionis the-
 si, & positione, duos casus excipiendos arbitror. Prior
 est, quando supplementum maius est eo quod relicti aut
dotis titulo accepimus. Tunc enim supplementum in
 corporibus hereditarijs fieri debet, quia minus non po-
 test ad se trahere quod est maius. Posterior est, quando
 filia ætatis beneficio restitueretur, puta, quia magis sua
 interesset, legitimam cōsequi in corporibus hereditarijs,
 quam in pecunia numerata, *l. s. in emptione de minoribus l.*
Lex quæ tutores C. de adm. tut. l. libertus qui soluendo non est. de
bon. libert.

Dos ergo vno tantum casu repellit filiam à corpori-
 bus hereditarijs, puta quando pro legitima accepit. Dot-
 is ergo simplex acceptio filiæ nihil obstat, quo minus
 consequatur integrum legitimam in corporibus heredi-
 tarijs, dote scilicet restituta.

Nec obstat *l. quoniam nouella C. de inoff.* vbi dos in uni-
 uersum & absolute imputatur in legitimam. Nam ea lex
 debet intelligi, dotem semper imputari in legitimam
 hoc sensu; ne ytrumque consequatur simul, id est, & do-
 tem & legitimam, *idg. arg. l.* quod autem ad *l. Fal. l. Filio*
qua est antepen. eodem. vbi prælegatum quod à coherede
 accipitur imputatur in Falcidiam, si filia nolit quartam:
 sed

sed si filia quartam malit, & velit abstinere à prælegato, nō potest cogi ad imputationem prælegati. Cui suffragatur, quia cum filia non possit petere dotem in corporibus hereditarijs, quia iure cautum non est, imò arbitrio patr̄is relinquitur. *l. qui liberos, de mpt.* Liceret patri dotem constituendo in pecunia, filiam priuare legitima in corporibus hereditarijs, contra voluntatem *l. scimus §. repletionem C. de inoff.* Adde præterea vulgo receptum esse in *l.* *Marcellus §. res qua, ad Trebell.* vbi heres grauatus vendidet vnam rem hereditariam, tenetur eam sibi in quartam imputare, sed ex singulis corporibus hereditarijs eam sibi detrahit & conficit, ergo à simili, filia parata dotem heredi restituere pecuniariam, quartam suam legitimam ex singulis corporibus hereditarijs sibi detrahit & conficit.

De quarta falcidia differunt quoque interpres, an vna in re & cuius arbitrio detrahatur. Ego tamen totam hanc disputationem tribus concludo regulis.

Prima est, à testatoris arbitrio pendere, an in vna re an in pluribus Falcidiām constituat, *l. in quantitate §. fin. v.* ¹³ Ergo optimum est, *l. Cum quo §. fin. ad l. Falc.*

Altera, existentibus pluribus legatarijs, non licet herediti totam Falcidiām de legato vnius detrahere, sed ab omnibus pro rata, *d. l. in quantitate inf. l. 2. vbi gl. l. In imponenda C. Adl. Falc. l. lineam l. Plautius ad l. Falc.* Iniquum enim esset alterum alterius onus ferre. *l. si quis in suo §. 1. C. de inoff. l. si te bonis C. de iure delib.*

Tertia, Quando eidem plura relicta sunt, ex singulis corporibus quarta debetur, & soluitur *d. l. in quantitate §. fin.* si commodam diuisionem patientur. Nam ex individuali quarta per estimationem conficitur *l. lege Falcidia interueniente, qua est 7. ad l. Falc. §. pen. Inst. de off. iud.* In ¹⁴ R duobus

duobus tamen casibus, quod ex uno non detrahitur, suppletur ex altero. Prior est in *L. planè*, ad *l. Falc.* Posterior in *l. si ex pluribus*, eod. Sed hic maxima ex parte correctus videtur per *Auth.*, sed cum testator *C. ad l. Falc.*

De quarta Trebellianica quæsitum quoque est, an in pluribus constituantur? suntq; tres de hac quæstione sententiæ. Prima, in vna re eam recte constitui, §. Si quis vna re deducta *Inst. de fideicommiss. heredit. l. i.* §. Si heres percepta fundo, ad *Trebell.*

Secunda, quartam Trebellianicam ex singulis' rebus deberi, §. Sed quia heredes, vers. Ex singulis, *inst.* De fideicommiss. heredit. ideoque neque ab herede in vna peti potest, neque vice versa solui altero inuito à fideicommissario, idque ne aliud pro alio soluatur aut petatur, inter inuitos scilicet, *l. 2. §. 1. dereb. cred.* Hinc autem excipiunt interpretes singularem casum in *l. Marcellus §. Res, ad Trebell.* vbi inter omnes conuenit, licere heredi, sine fraude tamen, vnam ex rebus subiectis restitutioni alienare, quam sibi in quartam imputabit post conditionis evenitum, idque ne diutius suspendatur à perceptione quartæ sibi debitæ. Mora enim ista & diurna evenitus expectatio non potest carere damno, maximè, si interim indigeat, qua ratione receptum est fideicommissarium rem alienatam per heredem evincere & revocare etiam pro suo dodrante non posse, & ita nihil oberit heredi & emptori *l. fin.* §. Si autem *C. Comm. de leg.* vbi alienata per heredem vindicantur, per fideicommissarium.

Nam §. iste intelligi debet, quando heres supra quartam vel in fraudem, id est, quando alienauit optima quæque. Hic tamen conuenit inter professores, quod si heres redimat rem alienatam, & velit ex singulis corpori-

poribus detrahere quartam, audiendum esse, quod fidei-commissarij non intersit l. 2. §. item varijs, de aq. plu. Nam l. 1. §. Sirem, depos. non permittit redemptionem rei depositae ad purgandum dolivitum quamuis depositarius teneatur, si res perierit, etiam post redemptionem. Sed in nostro casu nullum erat commissum delictum, in alienando, nam quod sit lege permittente, extra vitium & penam est. L. Gracchus C. de adulteri. l. Marcellus §. Re que ad Trebell.

Tertia, est iudicis arbitrio quartam Trebellianicam interdum in vna te detrahi, puta si corpora singula commodam diuiosinem non recipiunt l. potest. de leg. 1. §. pen. de offic. iudic. vel etiam si ex coniecturis appareat testatoris mentem fuisse, ut eadem quarta in eadem re detraheretur. L. filium quem habentem. C. Fan. eroise, iuncta l. cum quo, ad L. Falc.

Hic reuocatur in dubium, si minus legitima fuerit filio relictum, quis teneatur supplere, an heres tantum, an simul etiam legatarius. In hac quæstione multiplex est opinio; vna Bartoli, ab herede & legatariis pro rata suppleri, l. ex patronis in pr. l. Si libertus patrono vers. Idem de bon. libert. Huic suffragatur l. scimus in pr. C. de ineff. vbi legitima ipso iure resecatur ex bonis paternis, ergo actio in rem dabitur filio pro triente, aut semisse contra singulos legatarios, ex quorum legatis ipso iure quarta detracta videbitur. suffragatur quoque eadem lex in §. replectionem, vbi legitimæ supplementum videtur esse onus reale. Ergo rem quamlibet sequitur, & apud quemcunq; possessorem secundum Bald, in Auth. Presbyteros C. de Episc. & Cler.

Secunda opinio est, ab omnibus quidem etiā legatariis suppleri, ceterum eis pro cuiuscione contra heredem dari,

*arg. l. si domu. §. 1. de leg. 1. §. Hac autem disposuimus, ut cum
de appell. cog. Auth.*

15 *Tertia & magis communis opinio est, onus supplendi
legitimam ad solum heredem spectare, eumque solum
recte conueniri d. §. Hac autem l. omnimodo l. scimus, C. de
inoff. Huic opinioni suffragatur quod legitimæ supple-
mentum petatur condicione l. omnimodo, ut notat gl. in
d. l. in verbo, diligere, ergo aduersus legatarios non dabi-
tur condicō ad supplementum, quia condicō persona-
lis actio definitur, §. Appellamus, l. inst. de act. Ergo cum a-
ctio personalis non detur contra particularium rerum
possessores, & ita non sequatur rem, sed personam here-
dis; contra legatarios particulares successores denegabit-
ur l. 1. §. 1. si heres percepto fundo, ad Treb. l. fin. §. fin. de cotrah.
empt. Suffragatur quoque, quod liceat patri ex bono &
ex quo una in re legitimam constituere, & ita commuta-
tione vti, vnde etiam consequitur, vt simul etiam liceat
patri alias res immunes facere & exonerare à legitima.*

*Quamobrem cum legare nihil aliud sit, quam exone-
rare legatum à legitima, solus heres & non legatarius te-
nebitur ad supplementum l. scimus C. de inoff.*

DE IMPVTATIONE LE- gitimæ.

1. *Ea, qua lucrativo titulo ex defuncti substantia capiuntur in legi-
timam imputantur.*
2. *Plura imputantur in legitimam quam Trebellianicam.*
3. *Ratione imputationis melior est condicō eius, cui debetur fal-
cidia, quam cui legitima.*
4. *Pars legitime institutionis titulo à testatore relinquipotest.*
5. *Solius heredis gratia imputatio introducta.*

Qua

6. *Quae non sunt ex defuneti substantia, non imputantur in legitimam, nisi forte pro realiena heres estimationem tacite vel expresse dare iussus sit.*
7. *Fructus percepti non imputantur in legitimam duabus de causis.*
8. *Quod in usufructu iure accrescendi, & in substitutione pupillari non vulgari aut fideicommissaria obuenit filio, imputacionis expers est.*
10. *An datum filio causa conditionis implenda imputetur in legitimam?*
11. *Negatur de iure nono.*

POPOXIMUM est, ut de imputatione differamus in legitimam facienda. Huius ergo capititis tres sunt præcipuae regulæ.

Prima est. *Quod ex ultima voluntate quocunque relicti titulo institutionis, legati aut fideicommissi percipitur, in legitimam ex bonis testatoris debitam imputatur l. omnimodo l. scimus in pr. C. de inoff. l. etiam §. si debita portio, de bon. lib. cui suffragatur l. in quartam in secundo resp. ad l. Falc. vbi in Trebellianicam titulus legati & fideicommissi & reliqui particulares, imputantur. Ergo multo magis in legitimam. Nam multo plura imputantur in legitimam quam in Trebellianicam l. quoniam nouella C. de inoff. vbi accepta etiam extra testamentum imputationi subjiciuntur, iuncta l. pater filium, ad l. Falc. vbi eadem in Trebellianicam non imputantur.*

Huic tamen regulæ in primis refragatur l. in quartam, in pr. vbi in Falcidiam titulus legati aut fideicommissi aut alius quiuis non imputatur, ergo multo minus in legitimam, quod sit multo fauorabilior. L. quoniam in proribus C. de inoff. iuncta Auth. Sed cum testator C. ad l. Falc.

Huic occurritur, legitimam fauorabiliorem quidem esse ad hoc, ut filius eam consequatur etiam inuito patre,

sed quod attinet ad imputationem melior est conditio heredis Falcidij quam legitimarij. Nam heres Falcidius non imputat titulos particulares, quia sustinet omnia hereditaria onera, etiam supra vires hereditarias, nisi hodie inventarium fecrit l. pen. C. de iure delib. §. pen. de hered. qnsl. & differ. Qua ratione grauatus in una re, in alia debuit relevandi, l. cum qui de iure delib. quæ quidem ratio cessat in legitimario. L. quoniam in prioribus etiam si instituatur in legitimam, quia loco legatarij censetur l. quies C. de heredib. inst.

Secundo eidem regulae repugnat §. Aliud capitulum Auth. ut cum de appell. vbi secundum receptionem sententiam & communiorum intellectum, legitima titulo institutionis est reliquenda, id est, legitimarius illo nobilitulo est instituendus, ergo frusta disputamus de imputatione legati aut fideicomissi in legitimam facienda, quia cum iam habeat eam titulo institutionis, quid opus est imputatione legati aut fideicomissi, quod & legatum, & fideicommissum præcipuum habere videatur.

Huic satisfacies, primum, falsam esse communem opinionem, quod filius necessario sit instituendus in legitima. Nam hoc nullo iure cauetur. Nec obstat d. §. Aliud quoque capitulum, quo solo error communis nititur. Nam satis eiusdem §. Si recte perpendatur, iubet tantum filium institui, unde satis factū erit ei §. et si pater instituat filium in tantulū & legitimā legauerit, vt latius infra suo loco dicetur. Vel aliter respondebis retento etiam communis intellectu, filium quidem hodie esse instituendum in legitima, sed necessariū non esse vt valeat testamentū, quod in tota & integra instituatur. Quare si in minori parte quam ei debeatur institutus sit, quod titulo legati aut fidei-

fideicommissi relinquitur, sibi imputandum erit in legitimam, & eiusdem supplementum.

Tertio cum eadem Regula pugnat quod vulgo receptum supra diximus, filio instituto legitimam cū ceteris deberi, & communem esse eisque partem facere, ut simul & legitimam & hereditatem consequatur. Ergo quod legitimarius capit titulo institutionis extra imputationem est. Huic obiectioni respondetur adhibita distinctione, quam ibi tradidimus: puta si solus est heres vniuersaliter institutus. filius hic non imputat quod capit titulo heredis, & institutionis, non quia titulus hic non sit capax imputationis, sed quia nullus est qui eam obijciat.

Nam obiectio solius est heredis, vt pote, quia eius filius gratia inducta est imputatio, quo maiorem & integrorem habeat hereditatem *d.l. in quartam*. Qua ratione si coheredem habet, vniuersaliter institutum, verbi gratia, in dimidia parte hereditatis, tunc temporis, quod capit iure hereditario & institutionis, tenebitur imputare in legitimam; nimirum pro portione coheredis, cui competit ius obijciendi imputationem, idque ut integriorem consequatur hereditatis suæ portionem.

Porro hæc Regula dupliciter temperanda est. Primo, vt procedat quando legatum aut fideicommissum ex substantia defuncti desumitur. *L. scimus §. repletionem C. de inoff.*

Nam quod extra substantiam fluxit, expers est omnis imputationis, *d. §. repletionem*, nisi forte pro re aliena estimationem heres, vt rem redimat tacite vel expresse dare iussus sit, *d.l. scimus in pr.* Vnde deciditur ex hoc temperamento, fructos perceptos post mortem testatoris non imputari in legitimam. verbi gratia. Si in

in minori portione, quam sibi debeatur, institutus fuerit,
 & post mortem restituere grauatus. Nam fructus medij
 temporis & pendente conditione perceptos non imputa-
 bit, quia hereditarij non sunt, neque testatoris vñquam
 fuerunt. *l. quod his verbis de leg. 3. l. 3. §. Hac verba, de Neg.*
ges. l. infideicommissariam in secundo resp. ad Trebell. l. sed si
plures §. Imperator de vulg. vel ideo non imputantur fru-
ctus, quia statim mortuo patre, legitima ipso iure detra-
hitur. d. l. scimus in verb. ipso iure. Ergo fructuum postea
 perceptorum compensationem non admittit semel de-
 tracta, sicut nec debitum, postquam exactum est.

Nec obstat *l. infideicommissariam, ad. Trebell. l. Papini-*
nus §. unde si quis, de inoff. vbi etiam in legitimam & Tre-
bellianicam isti omnes fructus indistincte & in vniuer-
suum imputantur. Nam hoc verum est antiquo iure di-
 gest. sed nouo iure Cod. hæc iura correcta sunt, puta,
 quod attinet ad Trebell. *l. iubemus C. ad Trebell.* vbi fru-
 ctus non imputantur in Trebellianicam, filijs sc. primi
 gradus, & *d. §. repletionem, vbi filijs, nepotibus & inferio-*
bus indistincte fructus vñquam imputantur in legiti-
mam, hodieque ex substantia defuncti non sunt, secundū
Bald. & Castr. in comment. ad d. §. repletionem l. scimus C. de
inoffic.

Rursus deciditur, quod filius capit à patre sibi restitue-
 re grauato, in legitimam non imputari, etiam si pater eli-
 gendi vnum ex familia facultatem habuerit, quia non à
 patre & ex substantia patris, sed à grauante patrem & ex
 illius bonis ea capere intelligitur. *l. vnum ex familia, in pr.*
& in §. 1. de leg. 2. l. coheredi §. cum filia de vulg.

Secundum temperamentum est, ita demum quod **ex**
 voluntate defuncti percipitur, imputari in legitimam,
 modo certo iudicio & immediate à patre proficiuntur,
 non

non quasi ex lucro aduentitio, d. §. repletionem. Qua ratione, ex substitutione, & iure accrescendi, obuenit quod filio imputationis expers est. Porro quod dicitur de substitutione ad pupillarem coartandum est, secundum receptorem interpretum opinionem. Vnde quod obuenit filio ex vulgari & fideicommissaria substitutione, in legitimam imputatur. Ratio autem differetiae est, quia quod capit filius ex his duabus substitutionibus, immediatè accipit à patre¹. Nam per vulgarem patri testatori succedit §. 1. de pupillari d. l. unum ex familia §. 1. Quod vero accipitur ex pupillari substitutione, ex filij substantia & hereditate percipitur, quamuis patris fuerit, quia per aditionem filij, patris hereditas esse desijt, sed si plures § filio impuberi, de vulg. & statim cepit filij patrimonium fieri d. §. filio, Quamobrem per pupillarem succeditur filio pupillo non testatori, d. §. 1. de pupill. Inst. Præterea, quod dicitur de iure accrescendi, restringitur quoque ad ius accrescendi in usufructu. Quocirca, si quid filio obueniat iure accrescendi in proprietate, siue sit portio hereditatis, siue legati hoc tantum imputabitur. Ratio autem differentiae est, quia ususfructus aduentitium lucrum censetur, sicut quod acquiritur ex pupillari substitutione. Nam ius accrescendi locum habet in usufructu, etiam post eum agnatum & acceptatum, in proprietate vero locum non habet, post eam semel agnitam, & ita ne ab initio deficiat, l. 1. §. interdum de usufr. accresc. Quod ergo acquiritur iure accrescendi in usufructu, vel ex substitutione pupillari, aduentitium est, quia quasi ex alieno aduenit. Secus in vulgari & fideicommissaria substitutione: secus etiam in iure accrescendi proprietatis: Quibus casibus nihil aduentitium est, nec alterius factum dicitur, vnde locus imputationi est, quia ex substantia patris immediate capitur.

S

Adde,

Addit, quia quod consequitur filius, cui nuda tantum proprietas relictæ est, ex usufructu scilicet, non tam ex patris iudicio sibi acquiritur, quam ex natura proprietatis, cum qua usufructus consolidatur morte fructuarij & alijs multis modis, §. *Finitur, Inst: de usufr.* At vero quod accrescit eidem filio in proprietate, ex iudicio defuncti, id est, ex tacita eius substitutione accrescere creditur. *L. si Titio & Manio § Julianus, de leg. 2.* Nec obstat quod exempla non restrin-
gunt regulam! *ren. §. licet municipium, de iuris & facti ignor.*

Ergo exemplum usufructus non restringit §. *repletionem* ad solum usumfructum. Nam nostra haec regula & restrictio non petitur ab exemplo usufructus, sed à ratione, quæ tantum locum habet in usufructu. Solus enim usufructus accrescens proprietati, ex alia causa & tanquam aduentitium lucrum accedere dicitur, propterea quod, ut paulo ante diximus, in solo usufructu ius accrescendi locum habet postquam agnitus est, & ita alienus factus. Quod secus est in iure accrescendi proprietatis, ubi post portionem semel agnitam & alienam factam cessat ius accrescendi *d. l. 1. §. interdum.* Qua etiam ratione Interpretes non restringunt substitutionem ad exemplum pupillaris, sed ipsem Iustinianus legislator, nec non ratio quam ipse Iustinianus exponit in d. §. *repletionem*, tum quia de substitutione loquitur, ex qua legitimario filio aliquid acquiritur, quasi ex aliena causa & aliena substantia, qualis sola est pupillaris substitutione, tum etiam quia loquitur de substitutione, ex qua lucrum proficiscitur aduentitium, id est, extra substantiam patris proueniens, quale id solum est, quod acquiritur filio, ex pupillari substitutione *d. §. 1. de pupilli.*

10 Præter superiora hinc dubitatur, an quod datur filio causa conditionis implendæ imputetur in legitimam: puta,
si vni-

Si unius universalis heres institutus sit sub conditione, si filio decem aut fundum dederit.

Hæc autem quæstio duabus regulis absolvitur. Prior est, quoties, quod datur causa conditionis implendæ extra substantiam patris est, nemine discrepante, in legitimam non imputatur, idq; secundū regulā d. §. Repletionē.

Altera est, quoties quod datur causa conditionis implendæ hereditarium est, controversia est an imputetur, Et tandem præualuit, non imputari, post Accurs. in l. filii m quem habentem C. Fam. ercisc. idque triplici argumento.

Primum est, quod detractio legitimæ, quæ debetur statim à morte patris, præueniat conditionis implemētum, vnde post detractionem ab ipso factam, frustra quæritur de imputatione dati causa conditionis implendæ.

Alterum quod legitima rejciat omnem moram & procrastinationem l. quoniam in prioribus C. de inoff. Ergo non potest pendere ex voluntate eius, qui causa conditionis implendæ quippiam dare filio iussus est.

Tertium, quia quod datur causa conditionis implendæ, aduentitium lucrum est, quod pendeat ex sola alterius voluntate, ad quam præstandam nulla decernitur actio l. si quis sub conditione dandorum decem, ff. si quis omissa causa test. Nec obstat l. Papinianus §. conditioni de inoff. vbi datū causa conditionis implendæ imputatur in legitimā.

Minus quoq; l. etiam §. fin. de bonis libert. vbi id ipsum imputatur in patroni legitimam, ergo & in legitimam filij. Nam hæc duo iura procedunt iure antiquo digesta, sed hodie hæc iura correcta sunt.

Postremo obstat l. in quartam, ad l. Falc. vbi relictū causa conditionis implendæ, imputatur in Trebellianicā: ergo & in legitimā. Hic neganda est cōsequentia, propterea quod legitima est longe fauorabilius, quā Trebellianica. Vnde non est perpetuum argumentum. Po-

- 1 Ponitur regula.
- 2 Declaratur exemplis.
- 3 Donatio propter nuptias in Gallia hodie in usu non est,
sed eius loco adgensamentum datur.
- 4 Adgensamentum quid sit?
- 5 Dos qua ratione dicatur precipua.
- 6 Donatio simplex non imputatur.

Secunda Regula imputationis est. Quæcumque legitimarius ex substantia testatoris, *ob causam*, maximè etiam extra testamentum, & testamenti causam (veluti inter viuos) accipit, in legitimam imputari. *L. Quoniam nouella l. omnimodo §. imputari C. de inoff.*

2 Primum ergo exemplum huiusce regulæ, dos est, *d. l. quoniam*, qua quidem datur à patre vel à matre, vel ab aliquo alio ascendentium, filiis & genero ad sustinenda onera matrimonij. *l. pro oneribus C. de iure dot.*

Secundum exemplum est donatio propter nuptias *d. l. quoniam*, quam facit pater nurui in compensationem dotis §. *i. in Auth. ut sponsalitia largitas, inc. nuper in f. de donat. inter vir. & vxor. t. t. C. de donat. antenupt. §. Est & aliud, inst. de donat.* In compensationem dōtis adjicetur, adeò ut aliter facta huiusmodi donatio non valeat, nisi æqualitas & quoad quantitatem & quoad lucra & pacta serueretur *Auth. Aequalitas C. de pact. conuentis.*

3 Hic admonendi, donationem istam propter nuptias hodie exoleuisse, neq; esse in usu secundum gl. & communiter interpretes in *d. Auth. aequalitas*. Vitimur autem hodie lucro vel secundum consuetudinem, vel secundum conventionem contrahentium, quod ex parte vxoris vulgo appellatur in hac ciuitate *Adgensamentum*. Hic enim maritus lucratur dotem præmortua uxore sine liberis, & vi-

cissim

cissim mulier lucratur *ad gensamentum*, id est, tertiam partem dotis. Sed istud lucrum non est donatio propter nuptias, quamuis olim fieret de donatione vel parte donationis §. 1. *de qualitate dotis in Auth.*

Tertium exemplū, est donatio filio facta fauore matrimonij, quo nomine à præcedenti distinguitur, quia hæc fit filio illa vero nurui, id est, vxori eiusdem filij: rursus, hæc vsu frequentissima est, illa vero in vsu esse desijt, nisi forte contenderis, hanc eius loco ex parte subrogatam, quod vtraque fauore matrimonij & propter nuptias facta videatur: licet alia atque alia forma, alio atq; alio effectu, arg. gl. in d. *Auth. aequalitas*, qua ratione perinde imputabitur atque dos & donatio propter nuptias, arg. d. l. quoniā l. *vt liberis vers. nulla discretione C. de collat. secundum Stephan. Bertrand. cons. 1. vers.* Nunc venio ad secundam dubitationem, in secundo volum. Imputatur autem tam dos & donatio propter nuptias, quam *donatio filio* facta fauore matrimonij, quod ex mera voluntate non censematur fieri, sed ob causam, id est, vrgēte causa, pura ob necessitatem; officium paternum, & naturalis affectus stimulum. l. fin. C. de dote prom. l. qui *liberis de ritu nuptiar. iuncto §. 1. de iure natur.* Quò fit, vt lex noluerit patrem grauare dupli onere, puta vt dotem inuitus cōstitueret, & simul legitimam. Lex enim vbiq; execratur onerum cumulationem l. pen. *de dote preleg. L. Titia §. qui in vita de leg. 2.*

Porro quod diximus, dotem donationem propter nuptias aut filio factam fauore matrimonij imputari, temperandum est, procedere secundum communem sortem & naturam eiusmodi donationis. Quamobrem si donator non imputari cauerit, & expresserit, expertes sunt imputationis. *Auth. ex test. C. de Cod. l. pen. de dote prelegata.*

Superioribus tamen obstat in primis videtur *l. l. ff. So!*.
matr. vbi dotis causa semper & vbiq; præcipua est, ergo filia dotem præcipuo iure præter legitimam consequetur. Huic respondetur, dotem ibi præcipuā dici, id est, potiorē & magis priuilegatam, aliā qualibet causa. Qua ratione loquitur de iure præcipuo, quod præter legitimam, consequamur. Vel aliter; dotis quidem infinita esse priuilegia, sed istud inter ea nō connumeratur, nimirum vt sit expers imputationis.

Secundo refragatur *l. denique §. sed utrum de minor*, vbi dos proprium mulieris patrimonium definitur, ergo nō imputabitur. Huic satisfacies, ad imputationem subeundam satis esse, quod ex substantia testatoris prodierit & manauerit. *l. omnimodo §. imputari C. de inoff.*

Tertio, *l. si quando §. & generaliter C. de inoff. ubi donatio simplex non imputatur in legitimam, et si expresse id cautum sit, & imputari iubatur, L. non mortis, eod. l. Etiam §. pen. de bon. libert.*

Notable 6 Huic satisfacies, ibi agi de donatione simplici: nos autem hic loquimur de donatione ob causam, interpretando causæ verbum, vt paulo ante diximus. Ratio autem differentiæ est, simplicem donationem ideo non imputari, sed simpliciter datum esse præcipuum, quod hic cetera ratio cumulandorum onerum. Nam filius consequendo legitimam, non grauat patrem, aut eius heredem dupli onere, sicut accidit in donatione ob causam, vt mox diximus, sed in uno tantum: Nam datum simpliciter filius consequitur à patre ex mera eiusdē voluntate, & liberalitate, quod neq; lege neq; natura ad simpliciter dādū impellatur. Vel aliter ex mente Franc. Ripæ, donatione simplex ideo expers est imputationis, quia donatio simplex simul esse non potest, & imputari, quod imputatio tol-

tio tollat conditionem simplicis donationis, hoc est, ex simplici facit donationem ob causam, eam transformando, quemadmodum pactum transformatuum ex uno contractu alium facit *i. vbi donatur, C. de donat, causa mortis l. 2. in pr. Sic certum petatur.*

Donatio ergo simplex non imputatur. Donatio, inquam, quæ viuo donatore valuit, & perfecta fuit, qualis est facta filio emancipato. *l. sive emancipatis C. de donat.* Nam donatio simplex à patre filio facta, quæ morte confirmatur, nec ante valuit irrevocabiliter, qualis est, regulariter omnis donatio à patre filio fam. facta, nec post emancipato, *l. donationes, quas parentes C. de don. inter vir. & uxor. l. 3. ff. eod. ex communi omnium sententia imputatur* in legitimam, quod habeat vim relikti, *l. donationibus C. ad l. Falc. l. etiam §. pen. de bon. libert. secundum gl. vulgo probatam in Auth. ex testamento C. de collat.* Imputatur quoque ea donatio simplex, etiam quæ valuit in vita, si hoc actum est ut imputetur. *d. §. & generaliter, vel tacite, puta quia pro parte sua datum est, l. scimus in pr. C. de inoff. vel quia datum per omnia respondet quantitati legitimæ, arg. l. Cum quod §. fin. ad l. Falc.*

Hic præterea conuenit inter omnes post Bald. in *l. Si donatione C. de collat.* donationem simplicem à patre filio factam adhito & præstito iuramento statim valere, nec impediri propter reflexum patriæ potestatis, ideoq; propter vim iuris iurandi, filio non imputari secundum Bald. in *l. Frater à fatre, de cond. indebiti.* Vbi ait propter iuramentum donationem filio fieri irrevocabilem. Quod autem ista sit communis opinio, nec imputetur, testis est locupletissimus Alex. conf. 8 in secundo volum.

Porro his quæ diximus, donationē putat simplicē experītē esse imputationis *d. l. Si quādo §. & generaliter, refragari videtur*

videtur *l. illud. inf. C. de Collat.* vbi simplex donatio filio emancipato facta, semper confertur, ergo quoque semper imputabitur *d. l. illud, in pr.* Huic respondebis, argumentum quidem ab imputatione ad collationem valere *d. L. Illud.* Sed non vice versa à collatione ad imputationem, *ead. l. in 2. resp.* Ratio autem diuersitatis est, quia causa collationis ut seruetur æqualitas inter heredes, quam efficit collatio. *L. ut liberis, eod.* Quæ ratio cessat in imputatione, per quam receditur ab inæqualitate. Nam quādo plura imputantur, tanto minorem portionem bonorum patris consequitur filius legitimarius, & ita tanto magis fit æqualitas heredi yniuersali.

1. 2. 3. Collatio & imputatio in quibus differant.

4. Ac in quibus conueniant.

5. Communitas ac differentia collationis & imputationis explicantur regulis.

VNde hîc commode & latius queritur, an & quando valeat argumentum ab imputatione ad collationem, nec non vice versa à collatione ad imputationem. Ratio autem dubitandi ea nobis occurrit, quia in multis partim **1** conueniunt, & partim differunt. Differunt ergo pri-
mum causa, nam collatio ab initio introducta est, ad tol-
lendam iniuriam, qua filij in potestate retenti ab eman-
2 cipatis afficiebantur, quos prætor ex æquo ad parentum successionem vocabat, facto testamento per bonorum possessionem contra tabulas: ab in testato per bonorum possessionem unde liberi *l. 1. de collat. bon. iuncta l. 1. si à pa-*
rente quis fuerit man. Rursus alia quoque causa collationis faciende successit, nimirum ut æqualitas seruetur inter li-
beros! *ut liberis C. de collat.* At vero imputatio instituta
est.

est ad impediendam querelam inoff. test. id est, ne rum-
patur patris testamentum, si minus legitima fuerit reli-
ctum l. Papinianus §. Si mortis causa de inoff. Quamuis hæc
ratio cesseret, propter nouum beneficium agendi ad sup-
plementum. l. omnimodo C. de inoff.

Secundo differunt materia. Nam omnia aduentitia
olim conferebantur, secundum gl. in l. emancipato C. de
collat. quamuis ea tantum imputarentur, quæ ex paren-
tum dispositione filius consequebatur d. l. Papinianus §. si
conditione, sed hodie nec imputatur nec cōseruntur l. fin.
C. de collat. l. scimus §. repletionem, C. de inoff. Rursus ea tā-
tum conferūtur quæ filio quæsita sunt in vita patris. Quæ
sita enim post mortem vel ex ultima voluntate, non con-
feruntur. l. ea de mun. l. filia licet in ver. relictum l. filiam in
secundo C. de collat. licet in testamento vel in codicillis re-
lata filio imputentur in legitimam Auth. nouissima C. de
inoff.

Tertio, donationem simplicem semper confert emā-
cipatus, quamvis eam in legitimam non imputet d. l. ut
liberis §. fin. C. de collat. iuncta l. si quando §. & regulariter C.
de inoff. test.

Quarto, quia collationi locus est tam ex testamento
quam ab intestato Auth. ex testamento C. de Codicil. Sed
imputationi non est locus, nisi facto testamento d. l. illud
C. eod. maxime quia ab intestato filiorum æqualis est suc-
cessio, vnde non disputatur de imputatione & legitima,
sed de successione æqualiter inter omnes fratres diui-
denda l. inter fratres, C. Fam. ercisc.

Conueniunt, qui a sicut sola profectitia imputantur d. 4
§. repletionem, ita quoque ea sola hodie conferuntur, d. l.
fin. C. de collat. Denique quia sicut donatio ob causam
confertur d. l. ut liberis, ita etiam imputatur d. l. quoniam no-

uelia c. de inoff. Præterea, quia sicut in his, quæ nec vendi, nec transmitti possunt ad heredes, cessat imputatio *l. omnimodo §. imputari c. de inoff.* ita etiam cessat collatio *l. i. §. si impuberi iuncta doctrina Bartoli in §.* Nec *castrense eiusd. leg. ff. de coll. bon.*

Præter superiora differunt quoque imputatio & collatio qualitate & conditione personarum, tum, quia soli descendentes conferunt, secundum *Bald.* quem communis schola sequitur in *l. si emacipatos c. de collat.* hac sola ratione, quia nullo iure caueatur ab ascendentibus & collateralibus collationem desiderari, tametsi extra controuersiam est, nedum descendentes sed etiam ascendentes & collaterales ad imputationem vrgeri. Tum *etiam, quia solus succedere contendens titulo vniuersali tenetur conferre,* vnde veniens titulo particulari nunquam confert. *L. à parente c. de collat. l. fin. de collat. dot.* Ceterum legitimarius quamvis heres non censemur vniuersalis *l. cum queritur c. de inoff.* sed loco particularis *l. quoties c. de hered. insit.* imputationi tamen subiicitur, *l. Papinianus §. si mortis causa de inoff. iuncta Auth. Nouissima c. cod. §.* Hæc autem disponimus, ut cum de appell. cognoscas.

His præfatis subiicio sequentes regulas ex quibus perspicuè constabit, quando alterum ab altero trahatur, id est, quando valeat consequentia ab imputatione ad collationem, & vice versa.

Prior est, in genere quæsitorū titulo inter viuos ea quæ imputantur, conferuntur *l. illud in pr. iuncta gl. i. c. de collat.* vel ideo, quia collatio videtur esse superior imputatione vnde valet consequentia à superiore ad inferius. Multo enim plura, olim maximè, conferuntur, quam imputentur. Quandoquidem aduentitia antiquitus conferabantur, nedū profectitia, & rursus donatio simplex cōfertur & tamen non imputatur.

Altera

Altera, in eodem genere non valere consequentiam negatiuè ab imputatione ad collationem. Quia scilicet donatio simplex non imputatur d. l. si quādo §. Et generaliter, & tamen confertur d. l. ut liberis inf. C. de collationib.

Tertia est, in genere quæsitorum post mortem, vel ex ultima voluntate ab imputatione ad collationem non valet consequentia affirmatiuè Auth. nouissima, ubi relata in testamento imputantur & legitimam consciunt, iuncta L. ea demum l. filia licet in secunda C. de collat. ubi relicta in testamento, aut Codicillis, & ita post mortem quæsita non conferuntur, iuncta gl. in d. l. illud.

Quarta & finalis, in eodem genere ab imputatione ad collatio, nem negatiuè valere consequentiam, puta nō imputatur, ergo non confertur; non quidem ex vi imputationis, sed ex natura collationis, quæ abhorret relicta conferri.

Hactenus de regulis & consequentia imputationis ad collationem, supersunt regulæ ex diuerso. Quarum prima est. A collatione ad imputationem non valere affirmatiuè consequentiam, d. l. illud. in secundo resp. Tum, quia antiquitus aduentitia conferrebatur, & tamen nō omnino imputabantur, maximè tempore d. l. illud l. scimus §. Repletionem, C. de inoff. Tum, quia etiam hodie fructus aduentitiorum, ab emancipatis, conferuntur, secundum Bart. in l. pater filiam de collat. dotis & tamen nō imputantur, d. §. Repletionem, Tum etiā quia donatio simplex, quæ in vita patris constituit, semper confertur d. l. & liberis §. fin. de collat. & tamen ea expers est imputationis L. si quando §. generaliter. C. de inoff.

Altera est, à collatione ad imputationem negatiuè cōsequentiam etiam non valere. Nam relicta in testamento aut Codicillis non conferuntur l. ea demum l. filia licet

I. filiam secunda C. de Collat. & eadem relicta imputationi subiiciuntur. I. Papinianus §. Si mortis, de inoff. Auth. non ißima C. eod.

Quid in genere quæsitorum inter viuos? Puto consequentiam valere. Verbi gratia, militia quæ neque vendi neque ad heredes transmitti potest, non confertur. *I. i. §. Castrense de collat. honor.* Ergo non imputabitur *I. omnimodo* §. *imputari C. de inoff.* Valet, inquam, hæc consequētia negatiuè & in hoc genere quæsitorum inter viuos, quod collatio censeatur quasi superior & longe capacior, imputatio vero inferior, ut apparet ex tribus exemplis primæ regulæ proximioris.

1. *Militia imputatur in legitimam, sed non omnis 4.*
2. *Militia multis modis diuiditur.*
3. *Militie nomen homonymon.*
4. *An officia, quæ auctore principe venduntur, imputentur?*

Quartum exemplum donationis ob causam est militia *d. l. omnimodo* §. *imputari*, id est officium publicum ex quo lucrum aut annuū stipendium consequimur. §. *optimum de exhib. & introduc. reis Col. 5.* quam imputari & conferri scriptum est, si vendi & ad heredes transmitti potest *I. fideicomissa* §. seruo alieno de leg. 3. *I. His verbis 100.* §. *Alumna eod. I. fin. C. de pignor. iuncto d. §. imputari, & d. l. illud, in pr.* Alias enim si neque alienari potest, neque ad heredes transmitti, vtriusque & imputationis & collationis expers est *d. §. imputari & d. l. i. §. nec Castrense de collat. bon. iuncta ibi gl.*

Imputatur autem hæc militia, quod ob causam non simplex donatio censeatur. Ob causam, inquam, propter affectionis paternæ stimulum naturalem. Promouet enim

enim pater filium ad militiam & dignitatem, vel eo quod pater per filium in dignitate constitutū nobilitetur, celebretur, nec non honore & voluptate afficiatur, *iuncta gl. in verb. nobiliores in Auth. de defensor. ciuit. Vel aliter secundum Alc:* Militia imputatur, si constet redditibus, annona & pensione d. §. optimum de exhib. reis quæ cedit loco alimentorum, *tot. sit. de erog. milit. annona. 12. c. Qua ratione præsumitur militiam filio concessam ratione legitimæ, quæ vicem alimentorum supplet.*

Hic obiter admonendi sumus ad vberiorem militarium tractatum, militias multis modis diuidi. Prima igitur diuisio est, vt quædam sit armata siue castrensis, quædam inermis, quæ urbana, togata, literata, ciuilis interdum appellatur *l. miles in prin. iuncta gl. dere indic. l. Negotiatores ne militent lib. 12. cod.*

Altera diuisio, vt quædam sit palatina, seu comitatensis, id est, eorum qui militant in palatio, seu comitatu Principum. Cuius generis sunt, libellenses & epistolares, memoriales & silentiarij *C. de proximis sacror. scrin. t. 2. l. de silentiarijs.* Quædam prouinciales, id est, eorum qui in fin. prouincijs, militabant, & officio aliquo fungebatur, *vt appareat ex multis legib. sup. tit. de diuers. off. lib. 12 Cod.*

Tertia diuisio. Quasdam vendi & ad heredes nō transmitti, quasdam contra ad heredes trāsmitti nec vendi aut aliter inter viuos alienari. *d. l. omnimodo §. imputari. d. §. optimum de exhib. reis quasdam & vendi, & ad heredes transmitti l. fin. C. depignorib. quasdam vero neque vendi, neq; ad heredes transmitti posse d. §. imputari, quarum omnium exempla videbis apud Bart. t. §. Nec castrense de collat. honor. & apud Bald. in *l. omnimodo §. imputari.**

Quartdiuisio ex superioribus desfluxit, quasdam esse in commercio & patrimoniales, quasdam vero casu *l. fin. C.*

de piz. §. optimum de exhib. reis in Auth. Antonius tamen Augustinus ex causa dictam existimauit. Cuiacius contra neutro nomine nominari aut reperiri, fatetur tamen in d. §. optimum casum militiae vocari, salariū quod hereditibus aut creditoribus post casum, id est, militis mortem præbetur. Ut ipse notat in l. 3. §. Si quid minori, de minorib. Sed probabilis videtur, quasdā esse militias ex casu, id est, secundum Accursi. in d. §. optimum quæ morte cadunt, vt vocat, redeuntq; ad ius & facultatem principis, vt eas pro arbitrio tanquam vacantes donet & conferat secundum Conap. C. 15. lib. 4. comment. iur. idque aduersus interpretationem Taurelli, qui in suo de militijs tractatu, ex casu dictas censuit, quod eas liceret militi in alios transferre. & ita à se abdicare & alij cedere propter casum; puta propter morbum, senium aut aliud quodlibet iustū eius exercendæ impedimentum arg. c. nisi cum pridem, de renuntiat. l. fin. de prox. sacr. scri. C. Verum Accursij & communis interpretum fauorabilior videtur d. §. optimū. Silencio tamen prætermittendum non est, militiae nomen & quiuocū esse, & late accepto vocabulo accipi pro officio cuiuslibet secundum Acc. in l. Aduocati in verb. militant. c. de aduocatis diuers. iud. In primis pro officio aduocati, ut ibid. Deinde pro Episcopatu & beneficio, nec non pro alia omni administratione Ecclesiastica c. 4. de præbendis. L. Sacerdotia C. de Episc. & Cler. Tertio pro officio cuiuslibet militantis apud principem t. t. de diuers. off. & de proxim. sacr. scriniorum. Et de erogat. milit. annona. Quarto, sed rarioris pro officio magistratum, qui præsunt iuri dicundo l. 1. C. in quib casu. mil. lib. 12. Postremo, sed rarissime pro officio, negotiacione & professione opificū & mechanicorum. l. fin. C. de iurisd. omn. iudic. Ceterum ex his omnibus ea tantū propria & peculiaris est, cuius vel diurnus, vel

vel menstruus, vel annuus redditus est, in qua plus est actionis & ministerij, quam iurisdictionis & imperij, quæque alienabiles, aut transmissibiles sunt d. §. imputari l. omnimodo c. de inoff. & §. Nec castrense.

Ista ergo sola quæ aut vendi, aut ad heredes transmitti solet, in legitimam imputatur, aut confertur, d. §. imputari. Fateri tamen oportet eas militias, quæ plus habent administrationis & imperij; cuius generis sunt præfecturæ omnes iudicariæ, imò & fisci rationales, ex casu quoad vnum effectū appellati posse, nimirum quod morte vacent omnes redeantq; morte magistratum in liberam principis concessionem, ut eas militias & eos magistratus pro arbitrio donet & conferat. Quo fit, ut hodie quæstor, seu receptor nummorum, qui erogantur principi propter recentem hanc concessionem, id est, ut lex loquitur pro introitu, nos vero Galli pour la finance, l. his verbis §. Alumno de leg. 2. qui quidem vulgo thesaurarius partium casualium appellatur. Militiæ ergo istæ, quæ plus habent iurisdictionis & imperij, aliud nomen & aliam appellationem sortiebatur, vocabanturq; magistratus, iurisdictiones & præfecturæ l. i. de off. eius cui mandata est iurisd. nec vendi, nec transmitti solent, §. 1. ut iudices sine quoquo suffragio fiant, imò qui pecunia & non virtute obtinuerit, reus est ambitus, l. i. eod ff. Qua ratione hodie in Gallia pecunia, quam pater filio erogandam dedit pro codicillis & diplomate principis, pro introitu dignitatis, Gallice pour la finance, pro bullis & signatura muneris & beneficij Ecclesiastici. (Romæ enim & apud principem cessat omnis ambitus d. l. i. de ambitu) pro licentia & Doctoratu, non imputabitur, vel quia huiuscmodi dignitates neque vendi, neq; ad heredes transmitti solent, vel quia ad peculium quasi castrense pertinere videantur

Notas

deantur, secundum Bart. in d. l. 1. §. Nec castrense de collat. bon.
Bald. & Salic. in d. l. omnimodo §. Imputari c. de inoff. test.

Quæsitū tamen est an officia, quæ sua natura vendi nō possunt, si auctore principe veneāt, quale est officiū exceptoris & officiū regendi Bullas Romæ secundū Paul. Caſtr. qualia sunt officia Fisci & rationaliū, secundum Conanum in c. 10. lib. 4. Com. imputentur. Quidā putant nullatenus imputari, quod à superioris auctoritate omnino pēdeāt, in cuius manibus abdicare & renunciare necesse est l. legatus Casaris de officio Pres. l. fin. C. de off. Assēs. c. Admonet c. Quod in dubijs E. derenunciat. Adeo, vt liberum sit Romano pontifici, in cuius manibus cessio & renunciatio facta est, in alium quemlibet pro arbitrio conferre.

Quamobrem ista venditio impossibilis omnino videbitur, quod à principe impetranda sit, l. apud Iulianum §. constat, de leg. 1. Ergo ista officia non sunt censenda vendibilia, & ideo imputabilia, d. §. constat, d. §. imputari.

Alij, quorum opinio frequentior est, imputanda cēsent, idque quod ea quæ facile concedi solent à principe, possibilia censemantur, immo iniuria committitur, si negentur, l. 1. §. committitur de aqua quotid. & ast. Sed consensus principis & auctoritas in huiusmodi officiorum ventionibus solita est & ex consuetudine prebetur. Ergo vēditio censetur possibilis, & ita hæc officia imputabūtur.

Nec obstat l. apud Iulianum, §. constat, quia loquitur de his, quæ à principe fieri non consueverunt. Hic tamen obiter admonendi sumus hodie in Gallia officia iudicū exceptis rationabilibus auctore principe nunquam vendi, & minus transmitti, ideoq; nunquam imputabuntur d. §. imputari. Probatur tamē in hoc regno magistratum permutatio & gratuita renunciatio, idque exemplo beneficiorum Ecclesiasticorum, vbi permutatio & resignatio

tio in manibus superioris facta non improbatur c. quesi-
tum t. t. de rer. permutat. c. admonet c. quod in dubijs de renū-
ciat. iuncta l. legatus, de officio Pref. l. fin. de assēs. Negare ta-
men non possumus, quin facto ipso & contra ius hodie
passim veneant, venditionesque à principe tollerentur,
quamuis eis faciendis non præbeat auctoritatem, sed nul-
la pretij mentione facta, munerum abdicationes apud se
in gratiam alicuius factas admittit, vt ea in designatum
conferat.

Hic dubitatur, si clam facta venditio apparuerit, an
premium filius imputabit, frequentior opinio est non im-
putaturum, quod istud prætiū questus illegitimus censem-
tur, arg. l. quod seruus, iuncta Bartoli doctrina de acq. posseſſ. l.
quod autem ex furto, pro socio secundum Bart. l. cum oportet C.
de bonis quelib. Bald. in Auth. Ex testamēto C. de collat. Alex-
conf. 77. in s. Franc. Rip. in l. quartam num. 161. ad l. Falcid.
Ego tamen amplius deliberandum censeo, propter tole-
rantiam principis & subditorum consuetudinem, quæ
tacita quædam lex est, vt quasi iure consuetudinis distra-
hi videantur, & ita eodem iure imputari debeant l. omni-
modo §. imputari.

1. *Expensæ conuiuiorum non imputantur.*
2. *Vestimenta tamen & ornamenta prætiosa imputantur.*
3. *An sumptus pro arte aliqua discenda? Disting.*
4. *Mulctane? Disting.*
5. *Nō valet consequētia; non repetitur; Ergo nō imputatur*
6. *An quod pater exponit pro aduentitijs filii bonis?*
7. *Virum libri scholasticorum?*
8. *Ex sola tonsura aliquis incipit esse clericus.*
9. *Sumptus studioſorum non imputantur.*
10. *An heres, patre mortuo, sumptus studioſo suppeditare re-
neatur?*

11. *Instrumenta artificum imputantur in legitimam?*
12. *Num titulus Clericalis?*
13. *An donatio filio propter eius benemerita facta?*
14. *Num si pater filio tabernaculum pecunia ad negotian-
dum concesserit, lucrum inde proueniens pro parte aut
proto imputetur?*

EX superioribus deciditur expensas conuiuiorum puta promotiones ad Præsbyterium, ad magistratum, ad gradum Licentiæ, vel Doctoratus non imputari. l. 3. §. fin. de munerib. & hon. Quibus accedunt nuptiarum conuiua secundum gl. in d. l. 3. §. fin. quam Bart. & Bald. sequuntur.

De vestimentis tamen & ornamentis nuptiarum quæsumum est, an perinde expertia sint imputationis. Sed frequenter ista Bart. distinctio probatur, viles vestes ad quotidianum usum necessarias, neque imputari neque conferri, quia sacer nurui terendas dedisse videtur, non imputandas filio: Pretiosas vero & festivas, & imputari & conferri, quod eas tantum comodasse sacer videtur, ut cultior & ornatior nurus incederet, socii honoris gratia, l. si ut certo §. Interdum, Commod. i. mortis sue causa §. fin. de donation. inter vir. & uxor. l. ex animo eod. l. id vestimentum de peculio.

His exemplis connumerari poterit pecunia seu mercies, quam pater pro Tyrocinio seu disciplina filij & artium mechanicarum exsoluit. Duobus tamen casibus superiora hæc omnia imputari videtur. Primo si filius proprium habeat patrimonium; quia tunc pater præsumitur animo repetendi impensas fecisse. L. fin. de pet. heredit. l. Nescennius de neg. gest. Alexand. in addit. ad Bart. in l. 3. §. fin. de mun. & hon.

Secundo, si tempore traditionis & erogationis pater in

in legitimam imputari iusscrit, arg. l. si quando §. Et genera-
liter C. de inoff. d. l. N. sennius, in verb. protestata est.

Hic quæsitum est, si pater filio mulieram soluerit an
imputetur. Bart. in l. Stichus de pec. leg. distinguit, si caue-
tur statuto, ut pater cogi possit, imputatumiri, quia nul-
la hic liberalitatis præsumptio capi possit, l. rem legatam de
administ. leg. Si vero sua sponte, miserationis causa absq; sta-
tuto mulieram soluerit, tunc cessat imputatio l. qua pater.
Fam. ercisc. cui Bald. in d. §. Imputari addit l. liber captus C. de
Capt. Vbi quod mater soluit pro redemptione filij, ab ea
nulla ratione repetitur. Ripa tamen isto etiam posteri-
ore casu putat ex communi sententia mulieram imputari,
quod non tam sua sponte, quam naturæ stimulis coactus
pater, vel causa vitandi ignominiam soluere censatur
arg. l. isti quidem, quod met. causa §. fin. de nox d. inst.

Nec obstat l. qua pater, quia hic non est sola pietas, sed
vrgens naturalis pietas.

Minus etiam refragatur l. liber captus, quia non valet
consequentia: Non repetitur, ergo non imputatur. Nam
dos semel constituta & tradita non repetitur l. perfecta do-
natio C. de donat. que sub modo l. pater filiam ad l. Falc. & ta-
men imputatur l. quoniam nouella. C. de inoff. Qua ratio-
ne hinc etiam deciditur, quod pater soluit pro filio ma-
gistratu, id est, pro mala eiusdem ad ministracione impu-
tari. Quia coactus hoc facere videatur, id est, tanquam fi-
lij fideiussor l. 2. ad municip. & de inc. l. filius familias de ad-
minist. rerum ad Cinit. pert. l. 1 de filijs familias lib. 10. Cod.
Malam administrationem suggestimus, quia quod pater
impedit pro dignitate filij, & extra eius culpatum omnino
imputationis expers est, l. 1. §. Nec castrense vers. an id quod
de collat. bon. l. si unius §. idem scribit §. Neratius Fam. ercisc. l.
3. §. fin. de mun & honor.

Nota

Reuocatur quoque in dubium, an quod pater imper-
 dit pro aduentitijs bonis filij, puta domum construxit
 aut refecit, vineam plantauit. aut alia quacunque ratio-
 ne, filij peculium aduentitium auxit; imputetur in legi-
 timam. Hic vulgo distinguitur, necessariæ ne fuerint im-
 pensæ an vtiles, vt illæ non imputentur, hæ contra: ad-
 habita tamen distinctione, an inferiores an superiores
 sint, aduentitorum redditibus, secundum Bart. in tractatu duo
 rum fratrum in 5. quest. & Baldum in l. filie cuius in 6. quest.
C. Fam. ercisc.

Adde peculium castrense, aut quasi castrense quod im-
 putationē respuit d. l. 1. §. nec castrense, vbi non confertur.
 Ergo nō imputatur. Bonum est enim argumentū à colla-
 tione negatiue, ad imputationem, nimirum in genere ac-
 quisitorum in vita, vt latius sup. exposuimus, in inter-
 pretatione l. illud *C. de collation.* Quid autem sit peculium
 castrense & quomodo constituatur, docet Imperator in l.
si filius familias C. Fam. ercisc. l. 1. de cast. pec. lib. 12. Cod.

7 Vnde deciditur equos & arma militum nunquam im-
 putari, d. §. nec *Castrens.* Deciditur quoque secundum *Ac-*
curſ. libros scholasticorum imputationis immuenes fo-
re, quod studiosorum arma censeantur l. miles iuncta gl.
dere iud. l. nepos de verb. sig. i. qua pater, Fam. ercisc. l. Aduo-
catis, l. fori de aduocat. diuers. iud. secundo, arg. l. filia cuius C.
Fam. ercisc. vbi quod pater emit nomine filiæ & sibi tradi-
dit eius est præcipuum, ergo scholasticus præcipuos etiā
habebit libros. Tertio, arg. l. que pater Fam. ercisc. vbi
expensæ causa studiorum factæ filiis non imputantur,
Quarto, quia quando pater misit filium ad studendum,
tenetur suggerere sibi necessaria. l. Macedon iuncta gl. ad SC.
Macedonianum l. sed Iulianus §. quod dicitur ff. cod.

Nō desunt, qui ex aduerso sentiūt, non præcipuos ha-
 bere

bere, sed imputare & conferre oportere, probatur arg. l. r.
de casstr. pecul. lib. 12 C. vbi quod pater emit filio, patris
manet & adhuc ad eum pertinet. Sed occurri potest;
de liberis emptis & filio traditis & donatis, nos loqui, quo
casu transfertur dominium l. si filij C. de donot. inter vir.
& uxor. l. 2. C. si quis alteri velsibi.

Secundo quod librorum donatio ob causam, propter
quam, quis cogi possit ut dentur (quemadmodum dos :)
facta videatur, ergo imputationem agnoscit. arg. l. quoni-
am nouella C. de inoff.

Tertio arg. l. omnimodo §. imputari C. eod. vbi militia
imputatur, ergo & libri, quos videmus destinari ad militiam

Quarto, quod scholastici non enumerentur inter per-
sonas habentes quasi castrense peculium, vt eo titulo vi-
deantur expertes imputationis l. fin. C. de inoff. l. r. de stud.
lib. 11. C. in gl. in verb. docere præcepti sunt, vbi soli præce-
ptores, non autem scholastici donantur priuilegijs & iu-
ris immunitatibus notat Guido Pap. q. 140. secundum de-
cpcionem capelle Tholosane q. 9.

Tertia & communis opinio Bartoli distinguentis, li-
bros datos Doctori aut Aduocato non imputari, quia ca-
strensi peculio cedant, d. l. fin. C. de inoff. Rursus non
imputantur, qui viuio patre euaserunt Doctores aut facti
sunt Aduocati, quamvis tempore traditionis discipuli
aut scholastici tantum essent arg. l. si emancipatis C. de do-
nat. l. donationes §. pater. eod. Negat tamen Bart. præcipu-
os fore, licet mortuo patre Doctores aut Aduocati fiant,
vel ideo maxime quia castrensi peculio cedere nequeūt,
quod patre mortuo desinat filij peculium, vnde multo
minus esse incipit l. fin. inf. C. de inoff. Idem putat Ias. in l.
filia licet C. de collat. Idem de Licentiato. Idē quoq; D D. de
Clericis ad sacros ordines promotis, censem, quod quasi

castrense péculum habeant, de quo testari possint *l. sacro-sancta Auth. Præsbyteros C. de Episcop.* Quinimo idem censendum existimat Iason. de Clerico simplicis tonsuræ, quod indistinctè liceat Clericis filijs familias testari *d. Auth. Præsbyteros. c. Quia nos E. de testam.* Cui suffragatur *c. cum contingat. De etate & qual. Ex. Vbi ex sola tonsura aliquis incipit esse Clericus c. duo sunt 12. q. 2. C. Clericos 39. d.*

Iasoni tamen refragatur *Franc. Ripa leui . vt videtur, fundamento in l. in quartam num. 18.* Vnde Iasonis sententia iure probabilior videtur.

Ex quibus apparet, filium extra istos casus imputatum libros in legitimam, quod nullo iure caueatur discipulum & scholasticum quasi castrense peculium habere.

Nec obstat *d. l. que pater. Fam. ercisc.* Vbi expensa studiorum non imputatur. Nam lex intelligitur de expensis consumptis & non extantibus, qualis est victus & vestitus. *L. omnimodo §. imputari, nō de extantibus, quales sunt libri, secundum Bart. & Salicet. in l. filie eius. Fam. ercisc.* Impensis ergo studiorum & salario non imputantur *l. qui filium vbi pup. educ. debeat. l. Si paterno affectu C. de neg. gest. l. de bonis §. Non solum. de carb. edi.*

Hinc tamen excipiuntur filij emancipati, in quorum persona statim constitit librorum donatio, id est, ad quam faciendam pater cogi non potuit. Vnde non imputabitur *d. l. si quando §. generaliter secundum Bald. in l. filia eius C. Fam. ercisc.*

Nota 10 Hic reuocatur in dubium, an patre mortuo heres impensis studiorum causa filio scholastico sugerere teneatur, id est, cæpta studia continuare. Dyno viuum est studiorum viuo patre cæptorum expensis ex patrimonio & communibus bonis fieri oportere, arg. *l. si viuu §. idem scribit*

Scribit §. Neratius. Fam. ercisc. Vbi si filius familias promotus est ad magistratum & dignitatem patre consentiente, omnes expensæ quas fieri incumbit nomine dignitatis, excommuni patrimonio, etiam mortuo patre percipiuntur, vel ea sola ratione, quod initio filius patre cōsentiente promotus sit & administrare cāperit. Bartolus tamen, cuius opinio pr̄equaluit, heredes non teneri probabilius censem, ideoq; scholasticum proprijs sumptibus, non communibus, literis operam daturum post mortem patris, arg. l. honores §. Is qui, de decur. Vbi decurionatus initiu basis & fundamentum est aliorum omnium munerum & dignitatum, iuncta l. et si filium, de munerib. Vbi si filius fuerit creatus decurio patre consentiente & ita incepit magistratum gerere, si patre mortuo idem filius ad alios honores gradatim prouehitur, patris heredes non tenentur pr̄stare impensas, quas fieri incumbit pro dignitatibus delatis post mortem patris, ergo initium studiorum non obligat heredem pro futuris expensis, maximè quod pater superstes non tenebatur inuitus studia filij continuare, immò potius pro arbitrio quandocunque filium à literarum studio reuocare poterat d. l. que pater ponderando verb. nisi credendi animo.

Ex quibus colligitur patrem nō esse studiorum debitorem, id est, ad studiorum expensas cogi non posse, sed magis ex gratia & liberalitate pendere, quale est creditum, l. r. si cert. petat. Qua ratione cum heres censeatur, eodem iure cum patre defuncto l. heredem de reg. iur. non magis cogi poterit, quam pater ipse potuit.

Nec obstat l. si vni §. 1. & 7. Fam. ercisc. & l. heres socij pro socio. L. nam & Seruius §. Si uno, de neg. gest. Vbi heredes tenentur perficere cāpta defunctorum negotia.

Nam

Nam illi textus loquuntur, quando aliquid incepsum est, propter quod pater aut aliis qui uis iure actionis aut obligationis & ita inuitus tenebatur ad consummationem totius. Nos autem hic loquimur de his, quae pendent a libero arbitrio, ex mera gratia non ex debito & necessitate, ut mox diximus. Pater ergo tamē debitor est alimentorum, dotis, & donationis propter nuptias. nimis quādiū vituit, post mortem vero solius legitimæ l. si quis a liberis de lib. agnosc. l. 1. & 2. c. de alend. lib. l. qui liberos de ritu nupt. l. fin. c. de dote prom. §. 1. de tr. & sem. §. Primum itaq. de hered. & Falc. Fatetur tamen Bartolus expensas artis Grammaticæ necessarias interdum censer, nimis cōsuetudine & conditione personæ ita suadente, l. de bonis §. Non solum, de carbon. editio. ibiq. Bart. facit l. qui filium ubi pupill. educ. deb.

II. Hic congrue quæritur, an instrumenta artificum imputentur in legitimā. Nobis verisimilius videtur imputationi subiectienda esse, quod nullo iure caueatur artifices peculium castrensem possidere, id est, enumerari inter personas, quibus id iure indultum & permisum est, l. fin. c. de inoff. Hinc excipiendos censeo emancipatos, quod eiusmodi instrumentorum donatio simplex videatur, & statim emancipatis facta valeat, vnde expers est imputationis l. si quando §. generaliter c. eod. In filijs familias vero, qui sunt in potestate patris, donatio, obstante reflexu, non valet, sed morte tantum confirmatur, l. donationes quas parētes c. de donat. inter vir. & uxor. Quò sit, ut instrumenta hæc imputentur, tanquam post mortem & ex testamento quæsita l. in donationibus in verb. relictum c. ad l. Falc.

Sustineri tamen potest, emancipatos ad imputationem cogi, quod ista donatio non videatur esse simplex & gratuita,

gratuita, sed ob causam & necessaria d. l. de bonis §. Non solum in verb. studia in verb. necessaria de carbon. Edicto. iunctio Catonis disticho, cum tibi sunt nati nec opes &c. nisi forte dixeris, patrem cogi quidem posse ad suggestenda instrumenta d. l. bonis, non tamen ad ea donanda & gratis concedenda, scut visum est Baldo in d. l. Filia cuius in 4. quest. C. Fam. ercise.

Rursus queritur; an titulus clericalis seu patrimonialis imputetur in legitimam. Id quod probabilius videtur, imputari oportere, quod pater constitutus eum videatur, magis contemplatione alimentorum & legitimæ, quam clericatus & peculij quasi castrensis. Quod ex eo coniicitur, quia ista constitutio fiat nomine alimentorum, ne filius Clericus cogatur relictis Ecclesiæ obsequijs mendicare c. 2. & 4. de præbend. Ex. Legitima autem loco alimentorum succedit l. quisquis §. Ad filias, ad l. Iul. maiest. c. Quo fit, ut alimentorum nomine præcipue hic titulus imputetur, vel potissimum, quod iste titulus non sit quasi castrense peculium. Quamobrem in rebus immobilibus maximè consistit, in quibus non est locus castrensi peculio. L. si filius familias c. Fam. ercise. l. 1. de castr. pec. lib. 12. c.

Nec obstat quod Ioan. Fab. ait in §. fin. Inst. de inoffic. Vbi ex eius sententia hic titulus nō imputatur. Nam hoc procedit, quando titulus constituitur ad vitam tantum & non in perpetuum, ea lege, ut redeat ad heredem, vel quando in pensione vel annuis redditibus consistit, qui morte finiuntur toto tit. de aliment. leg. § Finitur Inst. de usufr. Noshicloquimur de titulo constituto in rebus immobilibus, quæ ad heredes transeunt. d. §. imputari.

De donatione filio facta propter eius benemeritæ erga patrem, receptius est non est imputari, tum, quia merces

Notabilis

I3

remuneratio & compensatio magis censematur, quam vera donatio, *i. Attilius l. si pater § 1. de donat.* Tum, quod filio quasi extraneo facta censematur, secundum Accursij, *in l. si de donatione C. de collat. Auth. Vnde si parens C. de inoff.* Qua ratione, tanquam peculium aduentitium non imputabitur, *arg l. scimus §. Repletionem C. eod.* Quod tamen temperandum est; primo ex mente ipsius Accursij *in d. l. si de donatione C. de collat.* hanc donationem propter benemertitatem valere & sustineri, *in persona filij, dummodo eius erga patrem benemerita probentur, & appareant, l. si forte de castren. peculio.* Secundo dummodo talia sint benefacta, quae præmium & remunerationem mereantur. *d. l. si pater §. 1. de donat. verb. eximum.* Aliás ista donatio non subsisteret, nisi benemerita probarentur & præmium merebentur. *Quinius à ex sententia Iasonis in l. ex hoc iure, de inst. & iure, præterita esse oportet, nec sufficiunt futura.*

Quamobrem eiusmodi donatio dicitur vulgo remuneratoria, ex quo verbo colligitur, præcedentia esse oportere. Ista enim particula (*re*) retro tantum respicit, *l. verbum reddendi, de verb. sig.*

Obstare tamen videtur, quod nulla huiusmodi donatio consistat, propterea quod nullum sit filij erga patrem meritum. Quicquid enim obsequiorum impertitur filius erga patrem, id ex debito officio facit, *l. veluti, de inst. & iure.* Cui suffragatur Arist. lib. 6. Eth. Vbi inquit Dijs, parentibus & magistris satisficeri non posse. Huic occurritur ex sententia Tyraquelli *in c. si unquam in verb. donatione nu. 2.* Raro & vix unquam contingere posse, ut filius exceedat debita obsequia, ceterum euenire perraro *§. 1. in Auth. de non eligendo secun. nuben. in vers. Gregoria.* Cuius rei exempla videbis apud Virg. lib. 2. AEn. de AEneo & Anchise, & lib. 5. c. 4. apud Val. Max.

Alter

Altercantur interpretes, si pater filio tabernam cum pecunia ad negotiandum concederit, & filius inde quæstum fecerit, an totus quæstus, an pars tantum filij sit: & utrum, & quatenus imputetur. In hac quæstione duplex est regula.

Prima est, de qua inter omnes conuenit. Lucrum ex pecunia paterna sola, sine opera & industria filij quæstum, qualis est usura fænebris pecuniæ omnino profectum cœseri, idq; inter fratres commune & diuidendū, instar aliarum rerum, paterni, sc. patrimonij, l. certum C. Fam. crevit. iunctal. cum oportet, & gl. in verb. ex sua substantia, de bonis quælib. c. Per vestras de donat. inter vir. & vx.

Altera est regula, de qua dissensus est maximus, lucrum ex paterna illa pecunia, accedente industria opera & negotiatione filij quæstum, partim aduentitium, partim profectitum censetur, hoc est, secundum Bartolum, pro media parte adscribitur industria filij & aduentitium cœsetur, d. l. cum oportet, in verb. quod operibus. Qua ratione pro ea parte, & collationis, & imputationis expers est, l. scimus §. Repletionem C de inoff. l. fin. de collat. c. Pro alia verò dimidia adscribitur pecuniæ paternæ, & censetur profectitum, l. r. c. pro socio, iunctal. Si non fuerint eod. §. Illud de societ. Inst. & ideo, profectitum & commune heredium, inter quos diuidetur. Baldus tamen & communis schola, secundum Ripam in l. in quartam aliter interpretantur, partium divisionem ab arbitrio boni viri pendere, quia omnium filiorum non semper eadem est industria, sed interdñm maior, interdum minor. Quamobrem ei, cuius industria præualet pecuniæ maiorem lucri portionem addici oportere d. l. si non fuerint §. fin. pro socio, ideo pro qua parte filius ex industria lucrabitur, pro ea parte ad imputandum, conferendum, non tenebitur.

15 Egovero hanc pugnam ita conciliandam censeo cum Curtio inniore in l. illud c. de collat. opinionem Bartoli esse intelligendam in dubio, Baldi vero in easu certo, quando apparet ad oculum, industriam filij præualere pecuniae, id est, plus esse imputandum industriae quam pecuniae.

16 Rursus quæsumus, an datum filio contemplatione patris imputetur in legitimam. Verbi gratia. Patruus filiae fratris dotem constituit. Hic receptius quoque est, imputari oportere. Primo, quod istud datum, si est ex substantia patris profectum intelligatur l. sed si plures §. In arrogato de vulg. Secundo, quod profectitum definitur istud datum in contemplatione patris, l. profectitia §. Quod si: de iure dot. Tertio, quia occasione quæsumus perinde imputatur, l. omnimodo §. Imputari, in verb. occasione de inoffic. Quarto, quod ex professio cautum videatur, l. dotem dedit de collat. bon. Quibus suffragatur, quod breui manu patre acceptum dedisse per alium videatur, & alterius ministerio, l. 3. §. fin. de donat. inter vir. & uxor. l. singularia si certum petatur.

Ex quibus diluitur obiectio l. scimus § Repletionem de inoffic. Vbi oportet legitimam confici ex bonis patris. Nam eius contemplatione datum, iusta legis interpretatione, ex substantia patris acceptum breui scilicet manu, & causa vitandi circuitus.

17 Hinc ergo pendet alia quæstio, an quod auus dedit nepoti, imputetur filio in legitimam sibi debitam in bonis avi. Sed receptius est filium imputaturum: vel ea potissimum ratione, quod auus breui manu prius filio dedisse videatur, & deinde quasi filij mandato nepoti l. dedit dotem, de collat. bon. iuncta l. 3. §. fin. de donat. inter vir. & ux. & l. singularia. Si certum petat. Adde quod auus æs alienum fi-

nun filij exsoluisse videatur, l. qui liberos de rit. nupt. iun-
ctad. l. dedit dotem. Ergo quantum est imputari filio in le-
gitimam arg. l. heredis §. Si filius: Fam. erit sc. Hinc tamen
excipitur, si auus neptis contemplatione, verbigratia pro-
pter eius bene merita dotem dederit & remunerauerit,
l. auus ponderando verb. dotis nomine de iure dot. Hic tamen
obiter admonēdi sumus, in dubio presumendum esse, do-
tem ab auo datam fuisse, contemplatione scilicet, filij,
idque propter naturae præsumptionem, secundum Alc. in
1. Reg. præsumpt. 27. l. heredes mei §. fin. Ad Trebell. secundum
Bart. in d. l. debitor.

1. *Dos matris an computetur nepti in legitimam in successio-
ne au?*

2. *Tribus modis nepotes sunt matris heredes.*

HACTENUS de legitima debita in bonis patris & ceteris im-
putatione, superest quærendum, an dos data filiae im-
putetur nepotibus in legitimam in bonis cui sibi debi-
tam. Ad cuius interpretationem duæ Regule præmit-
tendæ sunt.

Prior est, si filia superuixit auo, nulla successionis por-
tio debetur nepotibus, l. si quis postumos §. 1. de lib. & post.
i. postumorum de inistro, rupto. §. 1. de exhered. lib. apud Iustin.
§. 1. Ita demum, de heredit. que ab intest. defer. & ideo nulla
eis in bonis cui legitima debetur, quia legitima est quarta
successionis ab intestato debite. Papinianus §. Si mortis, de
inoff. Qua ratione hic frustra quæritur, an dos matris im-
putetur filiis, hoc est, nepotibus in legitimam in bonis
cui debitam, cum non debeatur, isto casu scilicet. Fate-
ri tamen necesse est, ex persona matris si ei successerint,
locum esse imputationi & supplemento, nimirum si legiti-
mam, siue eius supplementum petant non suo, sed ma-

tris nomine, & tanquam eius heredes, ad quos, & querela & supplementum transmititur. *l. si quis filium c. de inoff.* Altera est, superstite auo, morta filia liberis, relictis in bonis aui, iure proprio istis nepotibus debetur successio, *d.l. postumorū de iniusto, rupto &c. §. Ita demum, de heredit. que ab intest.* Ergo & legitima quoque iure proprio sibi etiam in bonis eiusdem aui testamento facto debebitur. *L. parentibus C. de inoff.*

Vnde hic quæsitum est, an nepotes teneantur sibi dotem matris in legitimam in bonis aui debitam imputare. Bartolus, cuius opinio vulgo probatur secundum *Alexand. conf. 24. in 1. vol. & Dec. conf. 170.* imputandam censuit, in primis arg. *l. illam c. de collat.* Vbi nepotes conferunt dotem, quoties auo succedunt, *iuncta l. quoniam nouella c. de inoff.* Vbi in tractatu dotis bonum est argumentum de collatione ad imputationem, ergo sicut confertur, imputabitur quoque ijsdem nepotibus.

Secundò, *argl. omnimodo §. imputari, c. eod.* Vbi etiam occasione patris quæsitum, imputatur in legitimam, ergo nepos dotem matris sibi imputabit, tanquam aui constituentis occasione sibi partam.

Tertiò, *l. dos à patre profecta c. Sol. matr.* Vbi mortua filia, dos iterum incipit ad patrem pertinere, & de illius patrimonio & substantia fieri. ergo nepos dotem matris habet tanquam ex bonis & substantia aui immedieate detractam, ideoque ad imputandum tenebitur. *L. seimus §. Repletionem C. de inoff.* Quinimò quamvis ex generali consuetudine secundum Mart. opinionem, in ea lege, dos extantibus liberis, liberorum sit, neque ad patrem redeat, ad imputationem tamen nihilominus tenebuntur nepotes, quod eam ab auo accipient & non à matre, propterea quod consuetudo ista, à patre, ad quem reddit iure

iure communi auferri & in nepotes transferri, quasi è me-
dio itinere intelligatur, & non à matre, apud quam non
erat remansura superstite avo.

Quartò, Bartolo suffragatur, *l. si viua matre c. de bon. mater.* Vbi nepotes non dicuntur esse melioris conditio-
nis quam mater, ergo sicut mater superestes avo, eam im-
putaret in legitimam, æquum perinde est, ut nepotes sibi
eandem imputent, alioqui filia esset deterioris condi-
tionis.

Suffragatur §. *cum filius apud Iustin. de hereditatib. qua ab intestato defer.* Vbi nepotes succedunt avo per repræsen-
tationem parentum: ergo dotem matris quam repræsen-
tant, imputabunt, maximè quod dos sit affecta qualita-
te imputationis, id est, sua natura imputabilis, ergo ad ne-
potes transibit, cum ea conditione & lege ut imputetur.
Arg. l. traditio: de acq. rer. dom. l. si aqua ductus de contrah. emptione.

Baldus tamen cum paucis alijs ex aduerso, nepotibus
non imputari, sed præcipuam fore, censuit, ductus in pri-
mis hoc argumento, quod nulla lege hæc Bartoli impu-
tatio caueatur, ergo nepotibus non est temere inducen-
da, *l. illam c. de collat.*

Secundò, quod nepotes matris dotem consequantur
iure hereditario, id est, tanquam matris heredes, & ita ex
patrimonio & substantia matris, cuius heredes sunt ab in-
testato §. *l. de heredib. ab intestato ven.* *L. Babius Marcellus de pæct. det. iuncta l. sed si plures §. filio impuberi de vulg.* Ergo
hic cessabit omnis imputatio d. *l. scimus §. Repletionem c. de inoff.*

Tertiò, *l. dos à patre profecta secundum Martini interpre-*
ationem c. soluto matrim. quam quidem totius orbis
generalis consuetudo probat & sequitur secundum Acc.

ibidem

ibidem, nimirum quod dos à patre profecta ad patrem
redit, liberis non extantibus, non etiam ijs extantibus,
quibus ex ea generali cōsuetudine dos decernitur, ergo cū
per consuetudinem extantibus liberis impediatur regres-
sus dotis, nepotes quasi matrisheredes eam sibi vindicant.

Ceterum primo Baldi fundamento facile occurritur,
lege cautum intelligendum, nedum quod verbis conti-
netur, sed etiam sola mente & intellectu, *l. nominis & rei*
§. verbum ex legibus de verb. fig. Quare opinio Bartoli sa-
tis lege cauta videtur, arg. legum, quas induxi ad hanc su-
am sententiam statueritam,

Minus obstat secundum, quod planè falsum sit, filiam-
familias heredem habere in profectijs, maximè in dote
ipsa ad patrem redeunte, cum filia efflat animam secun-
dum Acc. & omnes interpretes in §. de heredibus ab intel-
ligentibus Auth. & in l. nupta §. 1. in ver. deceperit. Sol. matr.

Tertium denique tollitur ex his quæ supra diximus
pro Bartolo, effectum consuetudinis alium esse, quam
præscribat Bald. nimirum cōsuetudo intelligitur, dotem
quasi ad patrem redeuntem intercipere, reuocare imò
quasi detrahere ex substantia & bonis aui vel nepotis ex
patrimonio ipsius aui breui manu accipere arg. l. 3. §. fin.
dedonat. int. vir. & uxor. Quo fit, vt falso sibi persua-
serit Baldus, nepotes à matre dotem accipere.

Hic obiter obseruandum est tamen, uno etiam casu ex
2 communi sententia dotem nepotibus non imputari, sed
sibi præcipuam fore, vt puta quando eam habent & possi-
dunt vt matris heredes; quod tripliciter accidit. Primo,
quando pater filiæ dotem dedit, aut sibi reddi stipulatus
est. *L. Pomponius Philadelphus Fam. eresc. l. post dotem, se-
cundum Dyni intellectum Sol. matr.* Secundo, quando pa-
ter stipulatus est dotem sibi reddi in ynum casum, puta
non

non existentium liberorum : Nam in contrarium putà extantibus liberis, creditur dotem filiæ dedisse, *i. inter sòcium §. cum inter, de pactis dotalibus, tertio & vltimo quādo filiam dotatam emancipasset, aut post emancipationem dotem dedisset, i. vn. §. videamus C. de rei uxori. act.* Istis ergo tribus exemplis, nepotes dotem consequuntur, tanquam heredes matris, & ita ex substantia matris, propterea quod dos fuit data matri, & quæsita irrevocabiliter : adeo ut istis exemplis cesseret *d. l. dos à patre projecta, idq. secundum Bart.* & communiter interpretes in *d. l. post dotem in 4. gl. soluto matr.* Et hic est casus singularis, in quo etiam iure antiquo digest : filia familias habebat heredem, *secundum Baldum, in d. l. post dotem.*

Superest quærendum an renunciatio matris, quæ successioni paternæ iuramento renunciauit, noceat nepotibus, & rursus an exclusio matris, quæ sit aut statuto aut consuetudine, ad nepotes quoque porrigitur. Nos has quæstiones tractauimus in *c. quamvis de pactis in 6.*

1. *Fructuum differentia.*
2. *Hereditarij fructus in legitimam imputantur.*
3. *De imputatione fructuum in Trebellianicam.*
4. *De imputatione fructuum in Falcidiam.*

AD extremum superst, vt de fructuum imputatione paucis differamus. Quod vt commodius fiat, præfari incumbit, fructuum, (quod ad institutum attinet) duas esse differentias, alij enim sunt hereditarij, alij non hereditarij. Hereditarij aut definiuntur à testatore percepti & in horreo reconditi, vel à curatore bonis dato, iacente hereditate, vel deniq; ab herede quidem percepti, quos ramen testator ipse retinet, *i. in Falcidia placuit q. Ad l. Falc. l. quod seruus 39. de leg. 2. l. ita tamen §. 1. ad Trichell.* siue tem-

pore mortis testatoris maturi cēsatur siue immatūri secū-
dum Acc. & communem opinionem in d. l. 9. verb. mor-
tis tempore, ponderādo verbum maximè quod est primum verb.
eius legis. Quod ad istos fructus attinet, hic recepta est re-
² gula quartis omnibus communis. In legitimam, Falcidiā,
& Trebellianicam hos hereditarios imputari, præfatis iuri-
bus, quod per omnia instar rerum hereditiarum cen-
seantur, vel melius, quod hereditarij sint, siue res heredi-
tariæ, eisdem iuribus. Fructus autem non hereditarij
sunt sati perceptique ab herede: horum autem triplex est
conditio. Prima est perceptorum iudicio testatoris, L.
mulier §. si heres 22. ad Trebell. quod accidit, quoties heres
in diem aut sub cōditione legatum aut fideicommissum
præstare iubetur. Fructus enim quos medio tempore
percipit, iudicio testatoris percipere intelligitur, quod in
dubio dies & conditio in fauorem heredis grauati, vt in
terim fruatur legato aut fideicommisso, id est, vt fructus
percipiat, apponi videatur. L. si ista §. Pegasus de legat. 2. l. in
fideicommissione §. cum Pollidius de usuris. Secunda conditio
fructuum perceptorum negligentia legatarij aut fidei-
commissarij, negligentis exigere legatum aut fideicom-
missum, d. l. si mulier §. heres 22. ad Trebell. Tertia est per-
ceptorum post moram heredis differentis ex industria re-
stitutionem l. in fideicommissarium 19. ad Trebell. De qui-
bus non hereditarijs fructibus, quod ad legitimam atti-
net, vna est regula. Fructus iudicio testatoris percepti, aut
per negligentiam legatarij aut fideicommissarij, non im-
putantur d. l. scimus §. Repletionem c. de inoff. Vbi ex his
solis conficiuntur legitimæ quæ sunt ex substantia defun-
cti & sic hereditaria, vnde cū fructus sati & percepti ab he-
rede non sint hereditarij, quia tempore mortis non fue-
runt defuncti, id est, in hereditate, quæ mox post additio-
nem de-

nem desijt esse hereditas, & incipit esse patrimonium ad-
untis, l. sed si plures, §. *Filio impuberi de vul. l. i. veteres iun-
cta gl. de acq. possēs.*

Nec obstat huic regulæ l. *Papinianus* §. vnde si quis dein-
offic. vbi isti fructus filio imputantur, in legitimam. Nam
ille §. commune calculo corrigitur, in d. §. *Repletionem.*
Corrigitur autem fauore filiorum, vt constat, ex verb.
pattis, & verb. filius, vnde deciditur parentes & fratres
eosdem fructus in legitimam sibi imputaturos, quia lex
de filiis tantum loquitur, d. §. *Repletionem*, ergo in paren-
tibus & fratribus incorrecta manet, arg. l. *principimus* C.
de appellat. & l. *sancimus* C. de testam.

Altera regula: Fructus ab herede perceptos post mor-
ram suam in legitimam imputantur, arg. C. *Raynuttius* de
test. in 6. versus finem iuncto gl. in verb. litis contestata arg. l.
r. & fin. c. de usur. & fruct. leg.

Nec obstat, p̄fatus § *Repletionem* necl. iubemus C. ad Tre-
bell. quæ isto nostro c. in poenam moræ temperatur &
interpretationem recipit.

Quod vero attinet ad Trebellianam, prima quoq; im-
putationis fructuum regula est: Fructus ab herede sati, &
ab eo iudicio testatoris, pendente die aut conditione per-
cepti in Trebellianicam imputantur, quamuis restitutio-
ni non subiaceant, l. in fideicommissariam ad Trebell. exce-
ptis liberis primi gradus, qui eosdem sibi præcipuos ha-
bent, d. l. iubemus C. ad Trebell. 3

Altera: Fructus negligentia fideicommissarij ab here-
de percepti, neque imputantur, neque restituuntur, d. l.
ſe mulier §. heres ad Trebell..

Tertia: Percepti vero post moram heredis imputan-
tur & restituuntur, d. l. in fideicommissariam, nedum ab
extraneis, sed etiam à liberis primi gradus, hoc nostro C.

Raynurius iuncta gl. in verb. contestata: quoēc. suppletur & corrigitur, puta quod ad moram attinet, prefata l. iubemus.

De imputatione fructuum in Falcidiam, prima regula
4 est: *Fructus sati & percepti ab herede, ex rebus scilicet non legatis, non imputantur, sed p̄cipui retinentur, l. in ratione, l. in quantitate, ad l. Falc. §. Quantitas Inst. eod.*

Nec obstat, d. *l. in fideicommissariam, vbi imputantur in Trebellianicam.* Nam in hāc imputantur etiam quæ hereditatis non sunt, & iure hereditario non percipiuntur: in illam vero quæ hereditatis sunt, duntaxat, *l. in quartam ad l. Falc.* quod grauatus in uno sit relevandus in altero, *l. eun qui de iure ur.* Quare cum heres Falcidius sustineat omnia hereditaria onera, æquum fuit eum exonerari in ea, ratione imputationis, & vice versa, quia Trebellianus heres exoneratur restituēdo hereditatem. *§. Restituta Inst. de fideicommiss. hered.* æquum etiam fuit eum onerari in ea ratione imputationis,

Altera regula: *Fructus percepti ex rebus testatoris purè legatis, restituuntur & imputantur, etiam percepti negligientia legatarij l. Herennius in prima. de usuris.*

Nec obstat, *l. mulier. §. si heres. ad Trebell.* Vbi heres grauatus non restituit, *iuncta l. in fideicommissariam & tot. tit.* Nam in puris legatis, & fideicommissis particularibus, dominium rectā transfertur ante traditionem, & ita legatarius statim fit dominus, *l. à Titio, defurtis l. sitibi homo. §. Cū fernus de leg. i.* Quò fit, ut fructus quoque iure dominij statim legatarij efficiantur, *l. qui scit, de usuris, securis in fideicommissario vniuersali, ad quem dominium rerum non transfertur, sed apud heredem manent ante restitucionem hereditatis, d. §. restituta.*

Tertia regula: *Fructus vero percepti ex legatis in diem, aut*

aut sub conditione relictis, in Falcidiam imputantur, l.
quod ex bonis. §. Fructus. l. qui quadringenta. §. fin. ad l. Falc.

Quarta & vltima, ybi res heredis aut aliena legatur, nul
la est fructuum restitutio aut imputatio, l. Paulus in secun-
do resp. ad l. Falc. iuncta gl. l. fin. C. de usur. & fructib. leg. l.
equis in prima, de usuris l. i. & fin. C. de usuris & fructi-
bus legatorum. Hactenus de imputatione:

hisque supradictis noster quartarum
tractatus remanet ex-
positus.



S P I R A E,

Per heredes Bernhardi Albini.

A N N O

M. D. CL.



ERRATA

corrigenda.

+*****
P Åg. 3. lin. 2. vel nullum vel in officiosum. Pag. 9. lin. 10. leg sa-
cros Canones imitari, ut & pag. 11. lin 22. pag. 11. lin. 20. leg. con-
trouersiam. pag. 13. lin. 8. expressam, pag. 28 lin. 24 desinertt. pag. 31.
lin. 15. distinctionem, pag. 34. perceptos, pag. 45 lin. 2. & 3. quo L.
Nesennius: leg. Filium quem C. Famil. Erciscund. pag. 48. lin. 50
sive non nominatim, pag. 62. lin. 30. intellectum, pag. 70. lin. 16.
quol. p. 71. 17. sit, pag. 95. lin. 9. quidem & lin. 35. filia dotata, pag.
152. lin. 31. studiorum.



